2-20.18.

7641

COMPENDIVM THEOLOGIAE DOGMATICAE

QVOD

IN VSVM PRAELECTIONVM SVARVM

EVVLGAVIT

SAMVEL MVRSINNA

S. THEOLOGIAE PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS ET GYMNASII REGII ILLVSTRIS
REFORMATI EPHORVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS ET IMPENSIS IO. GODOF. TRAMPII.

MDCCLXXVII.

VIRO

SVMME VENERANDO ATQVE

DOCTISSIMO

IOHANNI PETRO BAMBERGER

AVGVSTISSIMI PORVSSORVM

REGIS

A CONSILIIS ECCLESIASTICIS IN DIRECTORIO ECCLESIASTICO REFORMATO

ET VERBI DIVINI PRAECONI MERITISSIMO

AD AEDEM TRINITATIS BEROLINI IN VRBE FRIDERICIANA

FAVTORI SVO SVMMOPERE COLENDO

HVNC LIBRVM

DICAT

SAMVEL MVRSINNA.

Duae potiſſimum ſunt cauſae, ob quas, VIR SUMME VENERANDE, hunc librum *TIBI* dicare in animum induxerim. Altera repetita eſt a prolixa *TVA* in me voluntate, quam per longum tempus variis declaraviſti ſpeciminibus et quam hac occaſione

publice praedicare meum esse arbitratus sum. Laeto semper memini animo iucundissimi temporis, quo olim Berolini exoptatissimo *TVO* consortio saepius frui et ex utilissimis et doctissimis *TVIS* colloquiis multa in vsum meum colligere mihi contigit. Postquam huc discessi, absentis non es oblitus, sed, quantum per gravissima *TVA* negotia licuit, frequentioribus litteris *TVIS*, benignissimam *TVAM* in me mentem nullo modo mutatam esse, satis ostendisti et quam paratus esses ad me iuvandum nunquam me ignorare es passus. Alta semper mente reposita erunt, quae in me exstare voluisti, favoris *TVI* documenta meque semper habebis *TVI* obseruantissimum. Altera, quae me ad librum hunc *TIBI* offerendum impulit, causa haec

est,

eſt, quod non facile *TE* meliorem et aequiorem rerum, quas ille continet, iudicem invenire poſſum. Vti enim in religione nihil probas, niſi quod exactiori examine inſtituto verum eſſe perſpicis et plus rationibus, quam autoritati humanae, in hac diſquiſitione tribuendum eſſe merito arbitraris; ſic pergratum *TIBI* eſt, ſi alii hac in re *TVVM* ſequantur exemplum et, caeca fide abiurata, propriis videant oculis, quaenam in rebus divinis noſtrum mereantur aſſenſum. Ad liberiorem veritatis in Theologia perſcrutationem aliis commendandam egregia aliquot Anglorum celebriorum ſcripta, germanice verſa, in vulgus emiſiſti. Sperare igitur poſſum, *TE* conatum hunc meum, ad eundem finem tendentem, boni conſulturum eſſe.

Maxime vero mihi gratularer, ſi et methodum et reliquam rationem, qua in hac Theologia dogmatica ſum vſus, in pleriſque *TIBI* probari intelligerem. Adſit benigniſſimum Numen optimis *TVIS* conſiliis et indefeſſis laboribus, ſaluti eccleſiae inſervientibus, diu *TE* conſervet incolumem in bonae cauſae et ſpectatiſſimae *TVAE* Familiae emolumentum et quibusvis *TE* et *VXOREM TVAM* dilectiſſimam, praeſtantiſſimis animi et corporis dotibus, ingenio multis artibus perpolito et eximiis virtutibus conſpicuam, cumulet bonis. Mihi vero ut porro faueas, ſummopere abs *TE* peto. Halae Magdeburgicae die XXVII Martii, MDCCLXXVII.

Prae-

PRAEFATIO.

Iam abhinc longo tempore de compendio Theologiae dogmaticae, quo in praelectionibus meis vterer, ſcribendo cogitaui, ut Auditoribus meis ad hanc religionis verae ſcientiam theoreticam viam, quae mihi facillima et optima eſſe videretur, munirem; quoniam vero ex plurimorum exemplis conſtat, quam plenum inuidiae hodie ſit, eiusmodi libros exarare et quantopere illi inprimis, qui a trita in hoc rerum genere via paulum declinent et maiorem veritatis, quam humanae autoritatis, habeant

rationem, a nonnullis exagitentur; quoniam etiam difficilius eſt, quam vulgo creditur, quae in Theologia dogmatica ſint firmiſſima et utiliſſima, breviter complecti eaque, quae in aliorum de hoc argumento ſcriptis deſideres, ita emendare, ut aequo de his rebus iudici ſatisfiat: diu haeſitavi, an propoſitum meum exſequerer. Sed cum ab altera parte mecum reputarem, parum curandum eſſe horum hominum iudicium, qui ex praecon-cepta opinione nihil, niſi quod decretis, a patribus et praeceptoribus ſuis acceptis, ſit conſentaneum, rectum eſſe ſtatuunt, et non defuturos, qui in his conatibus meis praeter bonam voluntatem cognitionem theologicam vſui plurimorum accommodatiorem reddendi et ab inanibus ſubtilitatibus purgandi, etiam quaedam alia laudent; cum etiam quorundam, plus forſitan, quam praeſtare poſſim, mihi tribuentium, accederent adhortationes, ut libro, qui praecipua doctrinae de religione chriſtiana capita, iuſto ordine connexa, dilucide expoſita et exquiſitis confirmata argumentis, contineret, elaborando meam dica-

rem

rem diligentiam: ad hunc tandem me accinxi laborem, in quo perficiendo ita ſum verſatus, ut non feſtinata opera, ſed omnibus bene ponderatis, eum facerem rerum delectum, eum ſequerer ordinem et eum libertatis ſentiendi ſervarem modum, quem intelligentibus lectoribus non omnino improbatum iri ſperarem.

Meo iudicio vti omni, ſic noſtro praeſertim tempore, in Theologia dogmatica tradenda haec præcipue ſpectanda ſunt: 1) vt in veritate perſcrutanda maximum ponatur ſtudium, 2) vt ea, quae ad veram virtutem et pietatem excolendam valde ſint idonea, inprimis inculcentur, 3) vt quantum fieri poteſt, paci inter ſententiis ſuis de religione a ſe invicem diſſidentes conſulatur. Hoc modo non ſolum haec ſcientia magis magisque perfici, ſed etiam longe vtilor et pluribus gratior atque acceptior reddi poſſet.

Primum a me memoratum, quod a Theologiae doctore maximum in veritate perſcrutanda ponendum ſit ſtudium, non magna indiget demonſtratione. Religio, quam

pro-

profitemur, veram habemus; quoniam autem quaevis veritas certo nititur fundamento, in doctrina de religione christiana semper inquirendum est in rationes, ob quas hi vel illi articuli fidei assensum nostrum mereantur. Christus et apostoli in iis, quae docuerunt, non solum veritatis commendaverunt studium Ioh. VIII, 32. c. XVI, 13. c. XVIII, 37. 2 Cor. VI, 7. Gal. III, 1. c. V, 7. Iac. I, 18. sed etiam suo comprobaverunt exemplo, nihil sibi prius, nihil antiquius veritatis cognitione et declaratione esse. Hinc semper vsi sunt argumentis ad ea, quae aliis persuadere vellent, confirmanda, postulaverunt, ut unusquisque non caeca fide, sed singulis, quae in medium protulerunt, bene exploratis, suam de rebus divinis amplecterentur sententiam. Paulus ideo doctrinam euangelii Tit. I, 1. *cognitionem veritatis ad pietatem utilis* vocat, ut paucis verbis, quid in illa sit quaerendum, exponat,

Cum vero religio christiana partim ea, quae per rationem de Deo et rebus divinis novimus, illustrat et rata habet, partim non nisi

nisi revelatione nobis detecta complectitur, utrumque hoc rerum genus ad examen est revocandum illi, qui veritati studet. Sollicitus ergo sit de religione naturali in toto suo ambitu recte perspicienda et stabilienda; operam det, ut divinam Scripturae sacrae autoritatem extra dubium ponat; videat, an omnes et singuli libri, canonicis adnumerati, hoc digni sint honore; facta illustria et mirabila, quae religioni tam iudaicae, quam christianae, ut divinis institutis adstruendis inserviunt, secundum fidei historicae regulas excutiat; in litterarum sacrarum explicatione ab omni partium studio sit alienus et necessariis adiutus subsidiis discat, quaenam dicta probantia a nonnullis male, quaenam bene adhibeantur; semper certa ab incertis, maxime necessaria a minus necessariis et inutilibus distinguat; e patribus antiquioribus et ex historia ecclesiastica, quae ad historiam dogmatum contexendam faciant, colligat, ut habeat perspectum, quaenam sensim ad doctrinam christianam corrumpendam sint excogitata et quanta iam a primis ecclesiae

chri-

christianae temporibus sententiarum de quibusdam fidei capitibus fuerit diuersitas; denique e recentiorum theologorum scriptis praestantioribus ea, quae ad Theologiam dogmaticam perpoliendam multum conferant, diligenter sibi notet, quin in nonnullis ex eorum, qui vel religionem christianam oppugnaverunt, vel ob heterodoxiam suam male audiunt, commentationibus proficiat. Quo est prudentior, eo magis se ad aliorum in quibusdam accommodabit infirmitatem et eo in divulganda ac defendenda veritate erit cautior, ne ob levem causam magnos excitet clamores et ne sua inconsiderata agendi ratione doctrinae purioris progressum magis impediat, quam promoveat. Quamvis interdum praestet, fortiter omni errori noxio claris argumentis resistere, quam nimis indulgentem esse. Haec si ab omnibus theologis fierent, sperandum esset, lucem veritatis tandem fere omnes falsarum opinionum in doctrina christiana tenebras esse dispulsuram.

Sunt vero plures, qui veritatis quidem gloriantur amore, sed dum unicam veritatis nor-

normam ſuae eccleſiae ſymbola ſive fidei confeſſiones eſſe exiſtimant, id tantum, quod cum iis conſentiat, verum eſſe, quae autem ab illis vel in minimis abeant, haereſin ſapere volunt. Hos ſi audias, valde expedita ad veritatis in rebus theologicis cognitionem eſt via; conferas modo, quae olim ab eccleſiae tuae aliquot celebrioribus doctoribus probata et publica quadam autoritate ſint praeſcripta et non aberrabis a fide catholica. Maiores tui iam ſatis perviderunt, quid in rebus religionis rectum ſit et certum, eorum potes confidere decretis, nec eſt quod ipſe de exquirenda veritate labores; illi enim in omnium poſterorum ſuorum vſum definiverunt, quid ſit credendum, quid repudiandum. Valde peccares in eorum autoritatem, ſi, cum de rebus dogmaticis agitur, in Scriptura ſacra quaedam invenire velles, quae ipſis nondum fuerint cognita; cavendum igitur tibi eſt, ne eam aliter explices, ac eorum permittunt deciſiones. Vtere modo dictis probantibus, quae tibi indicaverunt et oculis eorum vide, tunc omnia tibi erunt clara et quaevis dubia, ab

adverſariis tuis contra eorum interpretationem mota, evaneſcent. Quamvis in aliis rebus dies diem doceat, id tamen in Theologia dogmatica non habet locum. Quid enim de religione fieret, ſi ſemper eius moverentur termini? Quod ſemel bene fuerit fundatum, id non eſt convellendum.

Parum perſpicax ſit neceſſe eſt, qui his et ſimilibus ſermonibus ſibi imponi pateretur; nihilominus, qui pro opinata ſua orthodoxia pugnant, de religione actum eſſe queruntur, quod eorum, qui liberiorem veritatis in rebus theologicis explorationem urgent ſuoque commendant exemplo, quotidie augeatur numerus. Non vero cogitant, proprie ſic dictam orthodoxiam, ſive puram et veram doctrinam, non niſi longioris et iteratae dogmatum theologicorum diſquiſitionis eſſe fructum et, uti cuivis fidei ſuae reddenda eſt ratio, ſic quemvis oportere pro ingenii et ſcientiae ſuae facultate claram et certam religionis, quam profitetur, cognitionem ſibi comparare in eaque emendanda omnem ponere operam; inprimis doctoris religionis, niſi

falli

falli et alios fallere velit, perpetuum eſſe officium, ab omni ſuperſtitione et errore in rebus fidei ſibi cavere et in eo aſſiduum eſſe, ut magis magisquae perſpiciat, quid tam ſana ratio, quam revelatio recte intellecta, de rebus divinis nobis aperiant. Neque eſt timendum, ne quid detrimenti e liberiori veritatis examine religio capiat; ſi enim nonnulli ſint, qui aliis fumum vendere et ſua deliria, tanquam praeclara inventa, in vulgus ſpargere velint, non deerunt alii, qui eorum ſe opponant conatibus eosquae ſtultitiae ſuae ſatis arguant. Tantum quoque abeſt, ut ſententiae de religione minus probabiles, quas nonnulli publice tueri audent, incremento bonae cauſae obſint, ut, ſi tantum rectis pugnatur rationibus, illae plerumque occaſionem dent, veritatem maiori luce colluſtrandi illique plures conciliandi amicos. Interdum ne refutatione quidem digna ſunt, quae a quibusdam novarum rerum cupidis in lucem protruduntur. Si autem religionis doctor a vera religione plane aliena populo propinare ſuſtineat, eorum, qui rebus eccleſiaſticis prae-

ſunt, eſt, eius temeritatem et imprudentiam coercere. Vanae autem ſunt voces eorum, qui opinionem quandam haereticam eſſe dicunt, niſi argumentis oſtenderint, eam eſſe falſam.

Iam ad alterum, de quo mihi dicendum eſt, accedo, nimirum in Theologia dogmatica ea, quae ad veram virtutem et pietatem excolendam valde ſint idonea, inprimis inculcanda eſſe. De eo non facile dubitabit quisquam, qui conſideraverit, principem religionis finem, perfectionem hominis moralem eſſe. Certe quaecunque tam a recta ratione, quam revelatione probe expenſa, de cultu Dei nobis praeſcribuntur, eo tendunt, ut ſummae, cuius natura noſtra capax eſt, felicitatis fiamus participes; quia autem ſine ſincerae virtutis ſtudio nulla ſperanda eſt felicitas et quia pietas haud fucata virtutem noſtram reddit puriorem et perfectiorem, in doctrina de religione omnia ad id ſunt referenda, ut mens noſtra iis imbuatur ſenſibus, qui virtutis et pietatis nobis ingenerent amorem, et ut ea, quae vtriusque naturam, praeſtantiam

tiam et neceſſitatem declarent, ſedulo notentur. Hanc ob cauſam Paulus in ſupra citato loco doctrinam chriſtianam appellat *cognitionem veritatis ad pietatem vtilis*; pietas autem, quam intelligit, uti ſaepe alibi in libris N. T. omnem complectitur virtutem. Idem 2 Tim. III, 16. 17. ſummam eorum, quae ex revelatione nobis ſint diſcenda, his comprehendit verbis: *tota Scriptura divinitus inſpirata et vtilis eſt ad doctrinam, ad confutationem errorum, ad correctionem et inſtitutionem in iuſtitia*, ſive virtute: *ut perfectus ſit homo Dei, ad omne bonum opus bene inſtructus.* Confer. etiam 1 Tim. I, 4. 5; c. VI, 3-5.

Vt Theologia dogmatica vſui vitae hominis chriſtiani eo eſſet accommodatior, plures olim Theologiam moralem cum ea coniunxerunt et vel in ſingulis dogmatibus officiis, inde deductis, exponendis ſuam impenderunt operam, vel doctrinam de officiis in Theologiae dogmaticae loco quodam pertractaverunt; ſeparata vero deinde a plerisque hac ab illa ſcientia, ſolent tamen adhuc non-

nulli ſingulis Theologiae dogmaticae locis ea addere, quae ex iis ad virtutis et pietatis cultum provehendum colligantur. Si etiam haec non fiant et Theologia dogmatica, ut pars theoretica doctrinae de vera religione ſuis ſit contenta regionibus, in ea tamen ſemper ratio habenda eſt eorum, quae certam in doctrina de officiis praebeant utilitatem. Rectae igitur de Deo et homine nec non de redemtione hominum per Chriſtum procurata notiones fundamenti loco ſunt ponendae, ut inde appareat, quisnam cultus Deo ſit gratiſſimus, quaenam humanae naturae ſit dignitas et quid eam conſervet, aut imminuat, quomodo beneficiis Chriſto debitis ad vitae emendationem et veram ſalutem ſit utendum. Haec et ſimilia, quae iudicium noſtrum de iis, ad quae religione obligamur, forment, ſaepe in Theologia dogmatica ſunt monenda; inanibus vero ſubtilitatibus et inutilibus quaeſtionibus, quae non niſi lites pariant et pietati magis obſint, quam proſint, nullus concedendus eſt locus; nec myſticorum probanda eſt ratio, qui omnia tenebris involvunt, ubivis in Scriptu-

ra

ra ſacra quaerunt myſteria et, ut homines pios reddant, multis eos implent ineptiis.

Qui vero in Theologia dogmatica docenda aeque favet rationi ac revelationi, qui in Scripturae ſacrae dictis recte explicandis omnem collocat operam, qui accuratis definitionibus et rite determinatis ac claris ſtudet, propoſitionibus et non niſi iis, que vel certa, vel valde ſint probabilia, aſſentitur, facile ſibi cavebit a ſententiis quorundam, quae virtutis et pietatis exercitio valde obſtant, cuiusmodi ſunt eorum, qui Deum ſibi fingunt ex ſolo arbitrio agentem, qui corruptionem hominis naturalem nimis exaggerant, qui omnem virtutem volunt eſſe divinitus infuſam, qui caerimoniis quibusdam maius, quam recte factis, tribuunt pretium et qui ſolam fidem, ſive quandam de Chriſti meritis perſuaſionem, ſi modo ſit firma, ad ſalutem ſufficere, nec bona opera ad eandem neceſſaria eſſe, arbitrantur. Quod ſaepe his ſententiis dediti tamen ex animo omnem virtutem et pietatem colant, eam fit ob cauſam, quia homines non ſemper opinionibus ſuis convenienter vivunt.

 Idem,

Idem, de quo loquor, non omnem ſententiam, quae nonnullis impia videtur, ſi modo ſit vera, pietati contrariam eſſe iudicabit. Quis neſcit, cum primum variantes librorum novi foederis lectiones ſtudioſius colligerentur et earum utilitatem docti quidam viri valde praedicarent, et cum alii ſtilum graecum, quo ſcriptores librorum novi foederis ſunt vſi, hebraiſmis, ut negari nequit, refertum eſſe contenderent, multos fuiſſe, qui has ſententias cum reverentia, Scripturae ſacrae exhibenda, non poſſe conſiſtere, ſed ad impietatem inclinare ſibi perſuaderent. Nonne, ut de multis aliis diſputationibus nihil dicam, cum noſtro tempore, id quod iam Cappellus vidit, textum hebraeum maſorethicum V. T. variis in locis correctione quadam indigere critici intelligentiores adſerunt et non ſolum e verſionibus eius antiquis, quae ſolae Cappello ſubſidio erant, ſed etiam e collatis huius textus codicibus manuſcriptis id patere affirmant, eaedem repetuntur querelae? His tamen non movebitur, qui novit, bene eos de eccleſia chriſtiana merere, qui litterarum ſtudiis, philoſo-

losophia et arte critica adiuti quascunque falsas de rebus theologicis opiniones refutare et tollere atque pias fraudes priorum temporum, si quaedam earum remanserunt reliquiae, detegere et convincere satagunt. Semper modo superstitio a pietate distinguatur et salva erit haec, licet illius minuatur autoritas; huius enim agit causam, qui illius destruit imperium et qui magis de religionis puritate et integritate, quam de vana eius specie est sollicitus.

Restat tertium, quod in Theologia dogmatica docenda non negligendum esse arbitror, ut, quantum fieri potest, paci inter sententiis suis de religione a se invicem dissidentes consulatur. A multis quidem in Theologia dogmatica, inprimis si magnam polemicae partem illi admiscent, res fidei ita exponuntur, ut animis auditorum plura insinuentur, quae eos non solum comtemtu, sed etiam odio aliter sentientium impleant. Adnumerantur quasi sententiae, quibus vera de religione doctrina contineatur et quarum complexus firmiter tenendus sit illi, qui salutem aeternam consequi velit. Quicquid a decre-

tis ecclesiae, a cuius partibus quisque stat, vel paulum dissentit, inter maxime periculosos numeratur errores. Multo ardore contra eos disputatur, qui, uti putant, luce clariora videre non velint, eorumque opiniones, ut ridiculae et absonae, exagitantur. Describuntur adversarii, ut homines insipidi, perversi multisque onerantur contumeliis et maledictis, quae facile aliquem commoveant ad commercium eorum fugiendum et ad eos, ut pestem, aversandos. Quis miretur, cum tam consuetum sit plerisque, valde alieno ab iis, qui a suae fidei formula discrepant, esse animo, inter diversas religionem quandam profitentium partes bellum omnium contra omnes, quasi in statu Hobbesii naturali viverent, locum habere? Olim in conciliis, magno animorum motu et ingentibus clamoribus actis, velut classicum belli, contra omnes haereticos gerendi, canebatur, adversus quos catholici, sive qui maiori gaudebant potestate, omnia sibi licita esse crederent. Ad exemplum ecclesiae patrum etiam post reformationem acerbis odiis theologi contra alios,

non

non ſuis placitis adhaerentes, plerumque fuerunt irritati ſuisque contentionibus non ſolum coetum, cui praeerant, ſed etiam magiſtratus implicaverunt, unde multae turbae, innocentium vexationes et innumera orta ſunt mala. Fuerunt quidem, qui mitioribus uterentur conſiliis et qui vel lites quasdam componendas, vel ſaltem concordiam et fraternum amorem non interrumpendum eſſe ſuaderent; ſed parum valuerunt eorum hac de re monita, quin ipſi rigidioribus ſua lenitate ſuſpecti atque Indifferentiſtarum ac Latitudinariorum nomine ab illis ſaepe fuerunt notati.

Noſtro vero tempore plures intelligunt, nihil magis theologum decere, quam moderationem et aequum in errantes aut aliam, quam ipſi probatam, ſectam ſequentes animum. Egregia hac de re exſtant praecepta Pauli 2 Tim. II, 24. 25. *Servum autem Domini non oportet pugnare, ſed mitem eſſe erga omnes, aptum ad docendum, malorum tolerantem, cum manſuetudine erudientem illos, qui contrario animo ſunt affecti, quia forſitan Deus illis reſipiſcentiam dare poteſt ad agnitionem veritatis.* Vt hac

mente imbuantur illi, qui Theologiae dant operam, etiam atque etiam ſunt monendi, religionem chriſtianam eſſe religionem, ad pacem inter homines ſtabiliendam comparatam; eam nemini obtrudendam, ſed non niſi veritatis et utilitatis eius demonſtratione aliis eſſe commendandam; nunquam fieri poſſe, ut idem omnes de religione ſentiant; ob errorem, qui non ſit voluntarius, nullum in culpa eſſe; non omnes errores aeque eſſe noxios et in quosdam facilem eſſe lapſum; opinionum de rebus fidei diſſenſum nullam eſſe cauſam, ob quam alium odio proſequamur et contumelia aut gravioribus adhuc malis eum afficiamus; nullum coetum chriſtianum iure alteri leges praeſcribendi et ad ſua placita probanda eum cogendi gaudere; magis curandum, ut nobis a propriis erroribus caveamus, quam ut aliorum nimis acriter percenſeamus; magnam controverſiarum theologicarum partem logomachiis ſcatere easque non augendas, ſed potius minuendas eſſe. Haec et alia quaedam ſi Theologiae doctores auditoribus ſuis ſaepe ponerent ante oculos et in refutan-

dis

dis adverſariis omni abſtinerent acerbitate, non eſt dubitandum, quin moderatioribus ſenſibus in rebus ad religionem ſpectantibus procedente tempore plerique futuri ſint.

Ad haec tria in hoc Theologiae dogmaticae compendio me pro viribus omnia retuliſſe, non diffiteor; in quantum vero his deſideratis ipſe ſatisfecerim, alii iudicent. Rationem ordinis a me in illo ſervati in prolegomenis ex parte reddidi. Ex hiſtoria dogmatum tantum memoratu digniora ſtudui tangere, etiam aliquot utiliſſimorum ſcriptorum, quae ad res quasdam pertractatas illuſtrandas facerent, in ſcholiis feci mentionem; in quibus tamen conſulto fui parcior, quia a me in diverſis locis indicati ſunt libri, in quibus plura de his quaeri poſſunt. Faxit Deus optimus maximus, ut haec Theologiae dogmaticae brevior explanatio fructu a me ſperato non careat et plures excitet ad verae religionis cognitionem perficiendam. Scribebam Halae Magdeburgicae die XXVII Martii, MDCCLXXVII.

CON-

CONSPECTVS CAPITVM.

THEOLO-

THEOLOGIAE DOGMATICAE PROLEGOMENA.

§. I.

Theologia est doctrina de religione, eaque pro diversitate religionis, circa quam versatur, diverso nomine insignitur, v. g. Theologia iudaica, gentilis, christiana etc. Eam quoque *scientiam* appellare possumus, si doctrina haec exactiori ratione et ita traditur, vt cognitionem certam pariat. In sequentibus, cum Theologiae sine vllo additamento fiet mentio, Theologiam christianam, cuius praecipua capita hic explanare nobis est propositum, intelligemus.

A veteribus Graecis et Romanis *Theologi* dicebantur, qui de Diis disserebant. CICERO *de natura Deorum* lib. III. c. 21. *Ioues tres numerant ii, qui theologi nominantur*. Erat autem eorum Theologia, vti Q. Mutius Scaevola et Terentius Varro, teste AVGVSTINO *de ciuitate Dei* l. IV. c. 37. et lib. VI. c. 4. eam diviserunt, triplex, nempe:

mythica, qua poetae vtebantur, *phyſicâ*, quae philoſophis erat curae et *ciuilis* vel *politica*, quae diuinum cultum populi ſecundum leges ciuitatis regebat et cuius interpretes et antiſtites ſacerdotes erant. Quam varia apud ſcriptores eccleſiaſticos vocabulum Theologia ſignificet, docet SVICERVS in *Theſauro eccleſiaſtico* ſub hac voce. De titulo Theologi, qui Iohanni in inſcriptione Apocalypſeos tribuitur, ſingularem diſſertatiunculam confecit HEVMANNVS eamque inſeruit T. V. *Supplementorum ad Acta Eruditorum* p. 170 ſeqq.

§. II.

Religio eſt ratio Deum colendi i. e. ea faciendi, quae nos ipſi gratos reddere poſſint, eaque vel *vera*, ſi rectae Dei cognitioni eſt conſentanea, vel *falſa*, ſi ex errore quaedam Deo tribuuntur, quae ipſi non conueniunt et ad illum agendi ratio reſpectu Dei conformatur. Poteſt autem religio *ex parte vera et ex parte falſa* eſſe, ſi quaedam continet Deum decentia et quaedam minus ipſum decentia.

§. III.

Religio eſt vel *naturalis*, vel certis legibus inter homines *inſtituta*, quam etiam, ſi cum illa iura quaedam ciuitatis ſint coniuncta, *ciuilem* dixeris. Illa nititur ſola cognitione Dei ope ſanae rationis acquiſita, haec plerumque autoritate diuina vel tantum gloriatur, vel re vera gaudet. In poſteriori caſu dici ſolet *religio reuelata*, qualis eſt chriſtiana, in qua tamen, vti in quauis inſtituta, multa ex religione naturali adſumuntur. Reuelatio diuina, a qua religionis chriſtianae autoritas pendet, certis debet gaudere notis, quibus tanquam vera cognoſcatur. Ad eam examinandam et recte interpretandam ſanae rationis requiritur vſus, quo etiam opus

eſt

eſt ad ea diiudicanda, quae ex religione naturali chriſtiana retinuit. Patet inde, duo principia Theologiae chriſtianae locum habere, *ſanam* nempe *rationem* et *reuelationem diuinam* ſiue *ſcripturam ſacram*, eius conſeruatricem.

§. IV.

Cum *ratio* ſit facultas mentis rerum nexum diſtincte cognoſcendi eaque inſigne donum Dei, ſine quo ne religionis quidem capax eſt homo, neſciunt, quid ſibi velint, qui in Theologia rationem vel plane non audiendam, vel ſaepius obmuteſcendam eſſe contendunt. Cauſantur quidem, rationem hominum eſſe corruptam et maximis tenebris obſitam, et reuelationem ſolent lumini ſolis comparare, cuius ſplendore lampas in meridie accenſa, cui ratio ſit ſimilis, adeo obſcuretur, vt lucere vix appareat nullamque praeſtet vtilitatem. Sed cum ratio in religione commendatur, intelligitur non corrupta, ſed probe exculta, quae, vti in aliis rebus ad verum perſpiciendum, ſic etiam ad religionem recte cognoſcendam et perpendendam omnino eſt idonea. Simile, quo vtuntur, illis ipſis erit contrarium, ſi paulo aliter et quidem hoc modo adhibeatur: ſicut lumen ſolis nobis plane non prodeſſet, ſi oculos vel eruere vel claudere vellemus; ſic luce reuelationis, oculo animi i. e. ratione vel priuati, vel non intento, vti nullo modo poſſemus.

§. V.

Ratione principiorum *Theologia* eſt vel *naturalis*, quae de religione naturali, vel *reuelata*, quae de religione reuelata agit; vtraque eſt vel *theoretica*, quae et *thetica* et *dogmatica* dicitur, vel *practica* ſiue *moralis*. In illa, quae de Deo cognoſcimus, in hac officia, ad quae haec cognitio nos impellit, exponuntur. Theologiae moralis tanquam partes conſiderandae ſunt: *Theolo-*

gia pastoralis, quae praecepta dat de munere ecclesiastico in diuersis casibus bene et prudenter fungendo; *Theologia casuistica*, quae, quid in casibus dubiis siue in officiorum pugna faciendum sit, docet et *Theologia paracletica*, quae, quibus solatiis afflictorum animus in rebus aduersis sit erigendus, declarat. Solent etiam dubia, quae vel contra religionem naturalem, vel reuelatam et diuersa eius capita, a nonnullis mouentur, examinari et solui, quod fit in *Theologia antithetica*, quae etiam *elenchtica* et *polemica* nominatur; cuius partem, quae in defendenda religionis naturalis et reuelatae veritate versatur, quidam *Anti-Deisticam* vocant.

§. VI.

Vt ea, quae in Theologia e Scriptura sacra deducuntur, debito modo inde colligantur, multum studii in eius interpretatione est ponendum. Illud promouet *Theologia exegetica*, ad quam *Hermeneutica sacra*, quae regulas Scripturam sacram recte interpretandi demonstrat et *exercitium harum regularum*, in explicandis libris codicis sacri conspicuum, referuntur. Eius partes sunt *Theologia typica*, quae typis, *emblematica*, quae emblematibus, *prophetica*, quae vaticiniis, *allegorica*, quae allegoriis et *parabolica*, quae parabolis in sacris litteris occurrentibus illustrandis operam nauat. Quomodo rudiores in religione sint instituendi, *theologia catechetica*, et quomodo populari ratione praecipua religionis capita pro concione sint inculcanda, *homiletica* edisserit.

Qui scripta nosse vult, ad quamuis harum disciplinarum theologicarum, hoc et praecedenti paragrapho memoratarum, conducentia, consulat *Encyclopaediam nostram theologicam* C. XV. seqq.

§. VII.

§. VII.

Theologia purior, quae, inprimis quod ad res credendas attinet, tantum e ſacris litteris tanquam primo fonte hauritur, *biblica* erit. Duo autem hic cauenda ſunt, primo, ne putemus, Theologiam biblicam non niſi e vocibus et locutionibus biblicis conſtare debere; deinde, ne Theologiam impuram reddi arbitremur, ſi, quae naturalis cognitio de Deo et rebus moralibus vera et egregia ſuppeditat, Theologiae interdum adiungantur. Prius enim ideo non eſt probandum, quia multa vocabula et genera loquendi, quibus ſcriptores ſacri vtuntur, partim impropria, partim haud nobis ſunt conſueta, quae non ſatis intelligeremus, niſi verbis propriis et vſu inter nos receptis commutarentur; poſterius autem tantum abeſt, vt Theologiam peruertat et corrumpat, vt potius eam perficiat et multum ad vtilitatem eius augendam conferat. A Theologia biblica diſtinguenda eſt *Theologia eccleſiaſtica*, quae ad certas formulas loquendi ab eccleſiarum antiſtitibus tam olim, quam recentioribus temporibus praeſcriptas, eſt adſtricta. Ea pro opinionum diuerſitate, quibus varii coetus chriſtianorum inter ſe diſſident, valde diſcrepat. Ortum et viciſſitudinem harum opinionum *Hiſtoria theologiae* nobis ante oculos ponit, de qua praeter PETAVIVM nonnulli bene ſunt meriti et cui contexendae *Theologia patriſtica*, *Theologia ſymbolica et hiſtoria haereſium* maxime inſeruiunt.

§. VIII.

Si quis ſine partium ſtudio et nulli ſectae addictus ea tantum in Theologia probat, quae exactiori examine inſtituto vera iudicat eſſe, *Theologus* eſt *eclecticus*, cuiuſmodi PAVLVS SARPIVS, GROTIVS et quidam alii fuerunt, quibus etiam, qui adhuc viuit, COVRAYER eſt adnumerandus. *Theologia*, in qua nulla religionis

partium, sed tantum veritatis ratio habetur, *eclectica* dicenda est, quae quo perfectior erit, eo propius accedet ad Theologiam biblicam. Vti philosophia iugo autoritatis excusso breui tempore longe melius exculta est, quam antea multis seculis, sic quoque sperandum, commenta humana, quibus Theologia ex parte adhuc deformata est, tunc demum plane abolitum iri, cum plenior libertas sentiendi et cogitata sua sine inuidia in medium proferendi iis, qui de rebus theologicis scribunt, erit concessa.

PAVLVM SARPIVM fuisse Theologum eclecticum, praecipue ex eius historia concilii Tridentini apparet. Qui GROTII commentarios in Scripturam sacram et alia eius scripta theologica legit, ipsum Theologiae eclecticae studuisse facile videbit. De *Theologia Curayeriana* HEVMANNVS singulare scripsit programma, quod in parte prima *nouae Sylloges Dissertationum* eius p. 260. seqq. exstat.

§. IX.

In pertractandis rebus, quas Theologia dogmatica complectitur et quae certo ordine dispositae *systema* constituunt, eam sequemur *methodum*, quae ad distinctam et certam fidei dogmatum cognitionem nobis conuenientissima videtur. Studebimus nempe, quantum fieri potest, 1) accuratis definitionibus ea, quae maxime consideratione digna sunt, declarare, 2) in propositionibus, praecipue grauioribus, determinationes necessarias non negligere, 3) argumenta probantia, quae vel e ratione vel scriptura sacra petuntur, ad res quasdam confirmandas, debito delectu adhibito, adferre, et in fidem historicam rerum gestarum, religioni magnam auctoritatem conciliantium, inquirere 4) semper ea praemittere, quae sequentibus intelligendis et probandis inseruiant, 5) obser-

uatio-

uationes nonnullas ad quaedam eo magis illuſtranda addere, 6) in doctrinis intricatioribus, quas nonnulli vt gemmas religionis chriſtianae venerantur, ita verſari, vt vulgatiorem de iis ſententiam adferamus et ſimul oſtendamus, quomodo lites de illis ortae vel mitigari vel componi poſſint.

Inter diuerſas methodos Theologiam dogmaticam pertractandi nonnullis etiam *philoſophica* placuit. Quomodo ea ad hanc diſciplinam ſit applicanda, oſtendit TOELLNERVS in ſingulari libro, qui inſcribitur: *Gedanken von der wahren Lehrart in der dogmatiſchen Theologie.* Francof. ad Viadrum 1759. 8. Ea quoque in Theologia dogmatica ſcribenda CARPOVIVS, WYTTENBACHIVS, TOELLNERVS et quidem alii ſunt vſi. Sed ab altera parte negari nequit, hanc methodum non in omnibus Theologiae dogmaticae eſſe accommodatam, cum multa in illa occurrunt, quae non aurificis ſtatera, ſed populari quadam trutina ſint examinanda et cum loco rigidae demonſtrationis ſaepe probabili ratione debemus eſſe contenti; ideo quaedam tantum ex hac methodo retinuimus et de eo inprimis fuimus ſolliciti, vt, quantum huius diſciplinae natura patitur, eam intellectu facilem et firmam redderemus.

§. X.

Triplicis vero generis ea, quae ad Theologiam dogmaticam pertinent, eſſe videntur: 1) *hiſtorica*, ſine quibus tota religionis chriſtianae ratio intelligi nequit, 2) ea, quae cum naturali religione chriſtiana habet communia, et quae *articuli mixti* plerumque dici ſolent, 3) ea, quae religionis chriſtianae ſunt propria et quae *articuli puri* a plerisque vocantur. Vtilis quoque eſt certa

religionis theoria, in qua generalia quaedam de religione notanda discutiantur, vt eo rectius de rebus ad religionem spectantibus iudicare possimus, quae merito primum locum obtinet. Possent etiam certiora ab incertioribus, maxime cognitu necessaria a minus necessariis et articuli fundamentales a minus fundamentalibus discerni; sed cum iudicium de his omnibus valde sit diuersum, praestat, plura huius generis examini cuiusuis relinquere, quam forsitan temere definire, quae tot concertationibus adhuc sunt obnoxia. Adiuuabunt tamen in disquisitione hac, quae a nobis in diuersis locis monebuntur, veritatis studiosum eumque reddent cautum, ne facile veri tantum specie decipiatur et nubem amplectatur pro Iunone.

§. XI.

Qui Theologiae addiscendae operam dare vult, antea litteris humanioribus et philosophia probe sit imbutus; deinde in philologia sacra multum se exerceat, cum qua Criticam et Hermeneuticam sacram potest coniungere; postea ad diuersas Theologiae partes, Theologiam nempe dogmaticam, moralem et polemicam se accingat; denique artis homileticae et catecheticae praecepta in vsum suum conuertat. Quo quis ab omni doctrina est instructior, eo feliciores in studio theologico faciet progressus; contra dici non potest, quam parum proficiant et quam ridiculos saepe se reddant, qui illotis quasi manibus ad Theologiae sacra accedunt: solent enim fere rebus minoris momenti inhaerere eaque negligere et non intelligere, quae in hac scientia sunt praestantissima et grauissima.

§. XII.

Non est, quod Theologiam dogmaticam multis commendemus, cum latissime patet *vsus* eius. Ex ea veras de religione sententias percipere et sic noxios errores,

res, quos alii de rebus diuinis fouent, vitare possumus. Pandit ea nobis viam ad doctrinam moralem recte excolendam et virtutem sinceram persequendam hacque ratione nobis est adiumento ad nostram et aliorum salutem procurandam. Doctorem religionis christianae inprimis oportet hanc scientiam probe tenere, sine qua nec ipse de rebus theologicis bene iudicare, nec alios potest in fidei dogmatibus instituere.

CAPVT I.

DE RELIGIONE IN GENERE ET MAGNA EIVS INTER HOMINES DIVERSITATE.

§. XIII.

Fundamentum omnis religionis est cognitio Dei (§. II.) quo melior ergo ea est, eo melior etiam erit religio illi respondens; et cum multa de Deo ope sanae rationis cognoscimus, *religio naturalis*, quae huic cognitioni innititur (§. III.), *inter meliores est referenda* eaque tanquam norma consideranda, ad quam examinari debeat quaeuis religio instituta. Quo magis enim cum illa consentit, eo naturae hominis est aptior.

§. XIV.

Perspici inde quoque potest, hominem simulac rationem suam excoluit et Deum existere rebusque humanis prouidere pro certo habet, ad religionem fore procliuem. Factum hinc est, vt ab antiquissimis temporibus inter omnes fere gentes tam barbaras, quam moratiores, religio quaedam viguerit. Forsitan quosdam commouerunt fulgura et aliae res terribiles, vt de Deo primum cogitarent; non tamen ideo dici potest, solum

 timo-

timorem religionem peperisse, vt PETRONIVS inquit in *Satyrico* p. m. 358. *primus in orbe Deos fecit timor.*

§. XV.

Consuluit etiam hac in re generi humano Deus, partim *singulari reuelatione*, qua nonnullis diuerso tempore suam declarauit voluntatem, partim *benigna prouidentia*, qua in variis gentibus omni fere tempore excitauit viros sapientes, qui rectas de religione sententias proferrent et diuulgarent; ad quos, praeter philosophos quosdam, aliquot legislatores videntur esse referendi. Quamuis enim eorum nonnulli ex politicis tantum caussis religionem, tanquam societatis vinculum et remedium ad populum, cui praeerant, eo melius regendum, constituerint, eorum tamen alii religionem considerarunt tanquam optimam morum disciplinam et animo sincero eam Dei colendi rationem genti cuidam praescripserunt, quae ipsis optima esse videretur. Nec ideo, quia nonnulli religione abusi sunt ad fines politicos assequendos, omnis religio inuentum politicum dici potest.

§. XVI.

Primorum hominum religio, quae vel fuit naturalis, vel ad naturalem proxime accessit, sensim valde est corrupta. Deriuanda est haec deprauatio partim ex ingenii imbecillitate et consuetudine plurimorum hominum, rebus sensibilibus nimis inhaerendi et Dei quandam sibi fingendi imaginem, partim ex fraudibus sacerdotum, qui lucri causa splendidis mendaciis plebem sub specie religionis irretitam tenebant, partim ex artibus principum ciuitatis, qui prodigiis, oraculis et nouis caerimoniis multitudinis animos ad suam flectere solebant voluntatem.

Mirari satis non possumus, quam absurdis saepe fidem habeant homines, si ipsis ab iis, quos tanquam Deo-

Deorum interpretes magni aeſtimant, perſuadeantur. Recte ideo POLYBIVS inquit *Hiſtor.* L. V. c. 75. Μοι δοκεῖ πάντων τῶν ζώων ευπαραλογιςότατον ὑπάρχειν ἄνθρωπος, δοκοῦν ἔιναι πανουργότατον.

§. XVII.

Si religioni cuidam deditae fuerunt gentes, quae vera Dei cognitione vel caruerunt, vel eam obſcurarunt, Dei loco aliis rebus ſingularem exhibuerunt cultum, vnde orta eſt *idololatria*, cuius varia fuerunt et adhuc ſunt genera. Antiquiſſimum idololatriae genus poſitum erat in ſolis tanquam ſupremi Dei veneratione, quae erat veterum Perſarum religio. Deinde praeter ſolem etiam reliqua coeli aſtra pro Diis ſunt habita, id quod a veteribus Syriae et Phoeniciae populis factum eſſe, teſtatur hiſtoria. Cum illis poſtea ab aliis coniuncti fuerunt homines ob magna merita poſt mortem coelitibus adſcripti, quibus multis in locis templa et imagines conſecrabantur; eiusmodi religionem veteribus Graecis et Romanis placuiſſe, nemo ignorat. Adhuc longius a ſana ratione Aegyptiorum veterum poſterioribus temporibus receſſit religio, qua animalibus et oleribus quibusdam praeſtabatur cultus ſoli Deo debitus. Agnouerunt tamen pleraeque gentes idololatriae ſtudioſae, inter multos Deos, quos adorabant, vnum aliquem eſſe ſupremum, reliquis imperantem iisque tanquam adiutoribus in mundi gubernatione vtentem. Quanquam opinio de duobus principiis, ſiue de Deo bono et malo, quam Manichaei poſtea tuebantur, iam antiquioribus temporibus etiam quosdam habuit fautores. *Gentiliſmus* ſiue *Polytheiſmus*, qui olim late ſe extendebat, hodie quoque inter varias quatuor orbis terrarum partium gentes multos habet aſſectatores.

De

De gentilismo veterum populorum praecipue VOSSII *Theologia gentilis* et BANIERI *Mythologia* gallice scripta et in linguam quoque germanicam versa consulantur. Religionem gentilem hodiernam variis in regionibus probatam quaedam describunt itineraria.

§. XVIII.

Religio hodierna Iudaica, quae a vetere in multis differt, *Christiana* et *Muhammedana* in hoc: vnum verum Deum colendum esse, consentiunt et quaedam alia ex religione naturali adsumta habent communia; ingens tamen, si ad earum autoritatem et vtilitatem respicias, inter illas est discrimen. Vnaquaeque earum, vti et gentilismus, in diuersas religiones particulares siue sectas distinguitur; hinc fit, vt variarum religionum, quae in orbe terrarum et olim floruerunt et nunc dominium suum exercent, numerus non facile possit definiri: qui longe adhuc sit maior, si *religionem priuatam* siue singulorum, a *religione publica*, quam plures profitentur, discernamus. Fieri etiam aliter non potest, quam vt homines, sicut in plerisque rebus, sic etiam in religione, sententiis suis saepe a se inuicem discrepent. Eandem ob causam nunquam est sperandum, quicquid etiam dicant nonnulli, religionem tantum vnam in toto terrarum orbe locum esse habituram.

§. XIX.

Qui vel Deum plane ignorant, vti nonnullae gentes barbarae, vel eum non esse sibi persuadent, quo errore *Athei theoretici* sunt imbuti, vel prouidentiam eius reiiciunt, id quod faciunt *Deistae*, vel vitiis dediti parum curant, quid summo debeant Numini, quos *Atheos practicos* vocant, religione proprie sic dicta destituuntur.

tur. Eiusmodi homines et olim fuisse, ex historiarum monumentis, et adhuc plures esse, ex iis, quae nostra aetate inter nos et alibi geruntur, satis constat. *Naturalistae*, quorum etiam non paruus est numerus, sola religione naturali contenti, omnem institutam, imo ipsam reuelatam, vel prorsus repudiant, vel minus necessariam esse arbitrantur.

§. XX.

Vt ea, quae de religione in genere adhuc sunt notanda, absoluamus, disquiremus: 1) *quisnam sit, aut saltem esse debeat, finis religionis?* 2) *quaenam bona cum religione, praesertim vera, sint coniuncta?* 3) *quaenam religioni mala interdum soleant adhaerere?* 4) *quaenam regulae in iudicio de aliorum religione sint adhibendae?*

§. XXI.

Cum nulla re Deus indiget eiusque neque augeri neque minui potest perfectio, ex religione hominum nullum proprie sic dictum commodum, neque ex eius omissione incommodum in ipsum redundare, facile perspicitur; quia tamen omnia, quibus homines fruuntur, bona, Deo accepta sunt referenda, quia ipsi illius subsunt regimini, eius virtutes imitari, ad illius voluntatem suas componere actiones et sic suam possunt promouere felicitatem: eorum est, beneficia a Deo in se collata grato animo agnoscere, ad eius agendi modum tanquam perfectissimum exemplar respicere et, quoad eius fieri potest, illi se conformare, iussis eius parere et omnia vitare, quae ordini ab ipso constituto sint aduersa eumque vt recte factorum remuneratorem et male factorum vindicem vereri. Quia vero haec omnia, in quibus hominum religio est laudabilis, eo tendunt, vt eos reddant meliores et verae felicitatis participes, non est dubium, quin *finis religionis*

gionis sit, aut saltem esse debeat, *hominum perfectio moralis et inde deriuanda eorum felicitas.*

§. XXII.

Religionem igitur *peruertunt*, qui eam ponunt in caerimoniis quibusdam, quibus crimina eluantur, aut Dei placetur ira, vel qui sibi religionem fingunt austeritatis et tristitiae plenam, quasi nostra Deus delectetur miseria, vel qui illa ad alios laedendos et ad scelera quaedam committenda incitantur, vel illa ad fraudes et simulationem, vt sibi huius vitae magna procurent commoda, aut alio modo abutuntur.

§. XXIII.

Varia cum religione, praesertim vera, coniuncta sunt bona, quae, quanta sit eius praestantia, satis declarant. *Multum enim ea confert ad hominum virtutem perfectiorem et puriorem reddendam.* Non quidem existimandum est, quod nonnullis visum, in hominem a religione alienum nullam cadere virtutem. Nam, si paulo modo sapit et sibi ipse non deesse vult, facile intelliget, alias liberas actiones naturae suae conuenientes, alias autem illi esse contrarias, et illas in se bonas et hinc committendas, has vero in se malas et ideo omittendas esse. Negari tamen nequit, eum, qui religione ducitur, maioribus incitamentis ad quamuis virtutem, etiam interdum heroicam exercendam instigari et magis abhorrere etiam ab occultis flagitiis et vitiis leuioribus, cum Deum quasi perpetuum vitae suae testem ante oculos habet, quam hominem Dei reuerentia vacuum.

§. XXIV.

Magno deinde *est solatio in rebus aduersis religionis studium.* Si quis enim sibi habet persuasum, sapientissimo Dei consilio res huius mundi administrari, nihil

hil eo inſcio et inuito accidere, eumque ipſa mala, quibus interdum boni et pii premantur homines, ad optimum dirigere finem, nunquam animum abiiciet in calamitatibus ſe affligentibus; ſed potius moerori ſuo moderabitur et bona ſpe et fiducia erectus auxilium exſpectabit ab eo, qui ſuos nunquam deſerit et, de diuina benignitate certus, quicquid ſibi euenerit, boni conſulet.

§. XXV.

Multum denique *momenti habet religio ad ciuitatis ſalutem et publicam tranquillitatem promouendam.* Religionis enim ſenſus plerumque homines efficit moratiores eaque tanquam cupiditatum et libidinum freno plures a peccandi licentia retinentur. Magna quoque iurisiurandi, quod religioſa continetur affirmatione, eſt vis ad fidem in promiſſis obſtringendam et ad lites quasdam grauiores dirimendas. Semper ergo vel ob hanc cauſam religionem in ciuili ſtatu conſeruandam eiusque autoritatem ſaluam eſſe voluerunt prudentiores; quoniam ea contemta vel plane ſublata longe difficilius eſſet, ſola legum diſciplina et imperio ſeuero homines regere, quam religione quaſi mitigare et tractabiliores reddere.

§. XXVI.

Adhaerere vero etiam interdum *religioni ſolent grauia quaedam mala*, ad quae maxime prouocant, qui ab omni religione homines abſtrahere vellent. Hinc LVCRETIVS Lib. I. v. 102. inquit: *tantum Relligio potuit ſuadere malorum.* Religionis enim cauſa ſaepe multa diſſidia et atrocia orta ſunt bella; nonnunquam ea publico emolumento, veritati et honeſtati contraria et vitiis quibusdam fuit patrocinio. Funeſta inprimis quaeuis conſequuntur, ſi in ſuperſtitionem et enthuſiaſmum degenerat religio. Eſt autem *ſuperſtitio* nimia credulitas

et

et animi anxietas, praesertim in rebus ad religionem spectantibus, cui qui deditus est, et sibi et aliis innumeras creat molestias. *Enthusiasmus* est animi feruor ex phantasiae ludibriis originem trahens, qui, si vehementior, furori est proximus et *Fanaticismus* dicitur. Eo incitati homines saepe nefanda commiserunt. De his vero et aliis malis, quae religioni a nonnullis vitio vertuntur, obseruandum est, ea non tam verae, quam falsae religioni, et prauis de religione sententiis atque eius abusui esse tribuenda.

Secundum HOBBESIVM *de Ciue* c. XVI. §. 1. *Superstitio* est metus inuisibilium, quando a recta ratione separatur. Egregium de superstitione libellum confecit PLVTARCHVS, qui inter scripta eius moralia edit. Francof. 1620. p. 164. seqq. exstat. De *Fanaticismo* legi meretur IOH. STINSTRA *Warnung vor dem Fanaticismus.* Berolini 1752. 8.

§. XXVII.

In *iudicio de religione aliorum* cauendum est: 1) ne eam deteriorem fingamus esse, quam re vera est; ideo antea probe eam cognoscamus necesse est, quam de ea sententiam feramus, 2) ne omnes in religione aliorum errores tanquam grauissimos consideremus; possunt enim ob varias caussas interdum esse innoxii, partim quia nullum ad mores et vitam hominum habent momentum, partim quod illi, qui eos fouent, non omnia, quae ex illis conficiuntur, concedunt et probant. Valet etiam ad errores quorundam excusandos, quod in eos ex ignorantia haud vitanda inciderunt; 3) ne alios ob religionem minus laudandam, quam profitentur, contemnamus aut odio prosequamur. Plerique enim religionem, in qua sunt educati, amplectuntur, deest ipsis occasio, meliorem

liorem cognoſcendi et ſi etiam illa adſit, aut variis praeconceptis opinionibus impediuntur, quo minus illa vtantur, aut maiori praeſtantia alterius religionis cognita, ob magna incommoda ipſis timenda eam cum ſua commutare dubitant et priuata ſua religione, a publica in multis diuerſa, ſunt contenti. Si diſſenſus in religione ſit leuior, multo adhuc magis abſtinendum eſt ab iis, quae contemtum aut odium in alios prodant; 4) ne quenquam ob religionem ſuam condemnemus. Soli enim Deo iudicium de fatis hominum in vita poſt mortem futura eſt reſeruandum, qui optime omnium nouit, quid quiſque praeſtare, quo vſque in veritatis cognitione progredi, quibus virtutibus praeditus eſſe et quae vitia fugere potuerit.

CAPVT II.

DE RELIGIONE NATVRALI.

§. XXVIII.

Religionis naturalis (§. III.) haec *praecipua* videntur eſſe *capita:* 1) *Deum eſſe*, 2) *eum mundi totius et ideo etiam rerum humanarum curam gerere*, 3) *inter virtutes et vitia magnum eſſe diſcrimen*, 4) *vitam aliam poſt mortem, in qua iuſtam mercedem bene vel male factorum vnusquisque accipiet, eſſe exſpectandam.* De his ergo in hoc capite eſt diſſerendum et deinde oſtendendum, a quibus religionis naturalis cognitio maxime ſit exculta, denique, quaenam eius ſit vtilitas et praeſtantia, videbimus.

§. XXIX.

Deum ſiue auctorem et rectorem huius vniuerſi eſſe, ex attenta noſtri et rerum aliarum, quae extra nos ſunt,

 conſi-

confideratione certo colligere licet; nam et nos non femper fuimus nec ortum noftrum nobis debemus et reliqua omnia, quae afpectui noftro patent, funt *contingentia* i. e. eiusmodi, quae fui caufam in alio habeant. De quibusdam eorum v. g. animantibus, arboribus et plantis ex quotidiano conftat vfu, ea ab aliis procreari, contingentiam vero eorum, quorum ortum et interitum nunquam obferuamus et quae conftantiora effe videntur, vti terra noftra et corpora coeli maiora, ex nonnullis mutationibus, quibus funt obnoxia et eorum inter fe nexu recte eogimus. Quoniam vero in rebus contingentibus progreffus in infinitum locum habere nequit, vt rationem earum plenam reddere poffimus, recurrendum eft ad caufam quandam primam et per fe fubfiftentem, a qua omnes res contingentes tanquam ex fonte quodam fint deriuandae. Seriem et complexum rerum omnium contingentium, quae et olim fuerunt, et adhuc funt, et in pofterum erunt, *mundum* vocamus et caufam earum per fe fubfiftentem, Deum, qui ideo non poteft non exiftere et natura fua a mundo eft diuerfus.*)

Mundum a Deo non effe diuerfum et naturae vim aeternam omnium, quae exiftunt, rerum caufam effe, poft veteres quosdam SPINOZA in *operibus pofthumis* adferere fuftinuit. Pro eodem errore propugnat Autor libri gallici: *Syftême de la nature.* Londini 1771. 2. Partibus 8. in quo refutando laudabilem pofuit operam IOH. CASTILLIONEVS, qui edidit *Obfervations fur le Livre intutilé Syftême de la nature.* Berolini 1771. 8.

§. XXX.

Ex *ordine* et *finibus rerum* non minus liquet, Deum exiftere et mundum eius opus effe. Ad huius argumenti vim percipiendam requiritur, 1) vt oftendatur, omnia

omnia in hoc mundo esse apte disposita, tam in iis, quae totum quoddam constituunt, vt systema solis, orbis terrarum, animantium corpora, arbores et plantae, quam in iis, quae se inuicem consequuntur, vt anni tempestates, incrementa et decrementa variarum rerum naturalium; deinde alterum inseruire vsui alterius et semper aliam rem esse propter aliam v. g. solis calorem terrae foecunditatem et hominum atque omnium animantium vitae conseruationem promouere; 2) vt extra dubium ponatur, ordinem hunc non absolute necessarium, sed contingentem esse, id quod non solum ex summa eius varietate et conspiratione ad vniuersi concentum; sed etiam ex legum motus, vnde is ordo pendet, indole cognoscitur. His antea debito modo constitutis, omnino huius mundi ordo et rerum fines certo sunt documento, esse quendam huius ordinis et nexus sapientissimum Autorem eumque vt summum Deum venerandum esse.

Argumentum hoc pro existentia Dei, vt ad plurimorum captum maxime accommodatum, alteri ex mundi contingentia depromto nonnulli praeferunt, inter quos est SAM. PARKERVS, cuius habemus *Disputationes de Deo et prouidentia diuina.* Londini 1678. in 4. editas, qui tamen in eo errat, quod argumento, ex contingentia mundi ducto, caussam quidem aliquam mundi, non autem eandem intelligentem esse, euinci arbitratur. Stultitiam Epicureorum, qui admirabilem rerum concentum in hoc mundo conspicuum fortunae lusui tribuebant, merito irridet CICERO *de natura Deorum* Lib. II. c. 37. Qui ideo nullos rerum naturalium fines agnoscere volunt, quod a necessitate quadam omnis ordo et nexus in mundo animaduertendus pendeant, non distinguunt necessitatem hypotheticam ab absoluta, quarum prior, quae in mundo

locum habet, fines non excludit. MAVPERTVISIVM, Lucretium et Cartesium secutum et contra fines rerum naturalium disputantem, multis refutauit REIMARVS.

§. XXXI.

His duobus argumentis addunt multi tertium *mere metaphysicum*, quod ex ANSELMO arripuit CARTESIVS et quo ex entis perfectissimi notione eius i. e. Dei existentia elicitur et quidem hoc modo: mente concipere possumus ens quoddam, quod omnibus iisque summis gaudeat perfectionibus, cum vero existentia etiam sit perfectio, ens perfectissimum existat necesse est. De solo nempe ente perfectissimo valet, quod cum eius possibilitate tam arcte coniuncta sit existentia, vt altera sine altera ne cogitari quidem possit. Quod LEIBNITIVS in hoc argumento desiderauit, entis perfectissimi possibilitatem prius adstruendam esse, quam ex illa eius deducatur existentia, id supplere nonnulli studuerunt. Nihilominus nimis subtile illud esse quibusdam videtur, quam vt tuto confidere illo liceat. In eo sane non minima latet difficultas, quod si a priori, vti vocant, omnia definire velis, quae enti perfectissimo sint tribuenda, facile quaedam illi possis adscribere, quae minime illi conveniant. Alia argumenta, quibus existentiam Dei nonnulli confirmare solent, taciti praeterimus, quia ipsis non tantam, quantam illi putant, vim inesse existimamus.

De argumento CARTESII, ad Dei existentiam demonstrandam adhiberi solito, multa notatu digna habet IAC. BRVCKERVS in *Historiae criticae philosophiae* Tomi IV parte altera p. 295-297. Noua ratione existentiam Dei a priori demonstrare studuit IMMANVEL KANT in libello, qui inscribitur: *Der einzig mögliche Beweisgrund zu einer Demonstra-*

monstration des Daseyns Gottes. Regiomonti 1763. 8. contra quem quaedam monuit GODOFR. PLOVCQVET in *Obseruationibus ad Commentationem Dni I. Kant de vno possibili fundamento demonstrationis existentiae Dei.* Tubingae 1763. 4.

§. XXXII.

Quoniam Deus est ens necessarium (§. XXIX.), omni initio et fine careat et semper idem sit oportet, siue est *aeternus* et *immutabilis;* nihil quoque concreti in eo locum habere potest, ideo neque *corpus*, neque *corpore* est *praeditus*; porro quaecunque ipsi inesse possunt, semper insunt, ergo est *infinitus;* denique omnia a se habet et nulli alii rei aliquid debet, siue *a se* et *independens* est.

Deum mundi animam esse, id quod veteres nonnulli, quos VIRGILIVS *Aeneid.* L. VI. v. 724-729. sequitur, existimarunt, ideo concedi nequit, quia hoc posito mundus eius corpus esset, a quo certo modo penderet.

§. XXXIII.

Plures aliae Dei perfectiones ex mundi tanquam operis eius contemplatione cognosci possunt. Inprimis inde patent: 1) eius *summa potentia*, quia tot et tanta potuit efficere, 2) *maxima sapientia*, quia omnium rerum tam arctum constituit nexum, vt altera semper sit propter alteram, 3) *infinita bonitas*, qua perfectioni rerum omnium et inprimis viuarum et ratione vtentium commodis consuluit.

§. XXXIV.

Deus est *substantia* ob potentiam, qua gaudet (§. XXXIII.) et quidem *simplex*, quia nihil in eo est

concreti, (§. XXXII.) atque *intelligens* ob maximam, qua praeditus eſt ſapientiam (§. XXXIII.) Subſtantiam ſimplicem et intelligentem *ſpiritum* vocamus, non ergo eſt dubium, quin Deus ſit ſpiritus. Quia vero omnia, quae Deo conueniunt, ſunt ſumma et nullis limitibus conſtricta (§. XXXII.), ipſe eſt ſpiritus optimus, maximus et perfectiſſimus, qui non ſolum hunc nundum, ſed etiam omnia poſſibilia diſtinctiſſime cognoſcit *intellectu* ſuo *infinito*, qui omnium rerum nexum acutiſſime perſpicit *ratione altiſſima*, cuius *voluntas* nonniſi ad optimum fertur et cuius *libertas* nullis impedimentis a praeſtantiſſimo propoſito ſuo exſequendo retinetur.

Mundum iure merito perfectionum diuinarum ſpeculum dixeris. Ad eas ex illo cognoſcendas triplicem commendauerunt rationem ſcholaſtici, *viam* nempe, vti vocarunt, *cauſalitatis*, *negationis* et *eminentiae*. Ad eorum, quae Deo vt ſpiritui ſint tribuenda, notionem quandam nobis formandam, in ſubſidium vocare oportet ea, quae de animae noſtrae facultatibus ex Pſychologia conſtant. In his tamen omnes remouendae ſunt imperfectiones et finitis infinita ſubſtituenda.

§. XXXV.

Perfectiones Dei morales, quae *virtutes* vocantur, ſunt praeter *bonitatem* et *ſapientiam* (§. XXXIII.) *iuſtitia*, quae eſt bonitas ſapientia temperata, qua ſuum cuique tribuit; *ſanctitas*, qua omne bonum amat et malum auerſatur, *veracitas*, qua fidem datam nunquam fruſtratur; *conſtantia*, qua propoſiti ſui ſemper eſt tenax; *gratia*, quae eſt bonitas in immerentes et *miſericordia*, quae eſt bonitas in miſeros ſiue ope indigentes. Has virtutes nunquam non exercet ob *omnipraeſentiam*, quae oritur ex perfectiſſimo eius intellectu, cui omnes

res

res huius mundi distinctissime sunt cognitae i. e. praesentes et ex summa eius potentia, quia vbiuis vim suam potest exserere, siue qua omnibus rebus est praesens.

§. XXXVI.

Vnicus tantum est Deus. Mundus enim, qui totum quoddam aptissime inter se cohaerens constituit, non nisi vnum requirit Autorem. Summa etiam, qua Deus gaudet, perfectio, eam inter plures diuisam esse, non patitur. Fac enim, plures esse Deos, aut erunt plane similes, aut ex parte dissimiles. Neque prius concedi potest, quia nullas res plane similes natura fert, neque posterius, quia tunc Deorum alter careret bonis nonnullis, quibus alter praeditus esset, et hinc non foret ex omni parte perfectus, id quod ipsum non esse Deum satis ostenderet.

Manichaeismus, quo duo ponuntur esse Dii, alter bonus, alter malus, inde ortus esse videtur, quod mala, quae mundo insunt, cum bonitate Dei nonnulli haud potuerunt conciliare et ideo arbitrati sunt, praeter Deum bonum esse alium, omnis mali Autorem, a priori tam diuersum, quam tenebras a luce. BAELIO, in *Lexico* suo diuersis locis Manichaeorum dubiis nimium pondus tribuenti, praeclare respondit LEIBNITIVS in *Theodicea* eiusque argutiis vera opposuit iudicia.

§. XXXVII.

Mundus, qui est opus Dei (§. XXIX.), originem suam non habet per *emanationem* quandam ex essentia diuina, quae est simplicissima (§. XXXIV.), ex qua nulla pars decerpi nihilque concreti deriuari potest, neque ex naturae diuinae *physica* eaque *necessaria vi*, quia tunc mundus plane foret necessarius et non contingens;

reliquum ergo eſt, vt dicamus, Deum ſapientiſſimum ob rationem grauiſſimam mundum condidiſſe i. e. *in eo efficiendo ſumma ſua vſum eſſe libertate.* Hic vero adhuc quaeritur, vtrum forſitan Deus ex rudi atque indigeſta mole, quae ab aeterno fuerit, tanquam architectus, mundi conſtruxerit aedificium, an prima rerum elementa, ex quibus totus conſtat mundus, ex nihilo procreauerit? quoniam autem prius ideo locum habere non poteſt, quia materia eiusmodi aeterna partim foret ſine vlla ratione, partim immutabilis et a nullo pendens, in quam alii nulla eſſet poteſtas, poſterius omnino eſt tenendum, ſcilicet mundum per *creationem ex nihilo* effectum eſſe. Vtrum vero ab aeterno, an certo quodam tempore mundum ex nihilo protulerit Deus, cum in facto res haec verſetur, ex iis, quae ſola nos ratio docet, haud conſtat.

Non deſunt probabilia quaedam argumenta, quibus orbem terrarum et in eo genus humanum non ab aeterno fuiſſe adſtruitur, quae tamen non ſufficiunt ad totius mundi in tempore factam creationem confirmandam.

§. XXXVIII.

Praeter hunc mundum plures adhuc alii ſunt poſſibiles (§. XXIX.), quia vero omnia Deo cognita ſunt poſſibilia (§. XXXIV.), isque hunc mundum reliquis omnibus praetulit, etiam in hoc ſummam ſuam ſapientiam oſtenderit neceſſe eſt. Nam cum ſapiens ſemper eligit, quod ſibi optimum eſſe videtur, nullum eſt dubium, quin Deus ſapientiſſimus ideo hunc mundum eſſe iuſſerit, quod reliquos poſſibiles vincit praeſtantia, ſiue quod eſt optimus omnium, qui fieri potuerunt. Ex hoc ſimul elucet *finis*, quem Deus in mundo hoc creando ſibi propoſuit. Quo melior enim eſt mundus, eo melius ex

ipſo

ipso tanquam speculo diuinae cognosci possunt perfectiones (§. XXXIV. schol.); cum igitur voluit, eum esse optimum, simul voluit, vt declarandis suis perfectionibus i. e. gloriae suae manifestandae maxime inseruiret. Cum hoc fine coniunctus est alius, qui entium ratione praeditorum respicit felicitatem, quem Deus quoque intendit, quia hoc modo bonitatem suam, vnam ex perfectionibus suis, in clarissima potuit ponere luce.

§. XXXIX.

Mundus, vti non a se fuit, sic nullam propriam vim habet perdurandi siue existentiam suam retinendi. Si enim postea quam a Deo procreatus est, per se subsisteret, independens foret, quod de illo dici nequit. Requiritur ergo continua voluntas Dei, qua, vt mundus existere pergat, efficiatur, quam *Conseruationem* dicimus. Ad eam quoque refertur *Concursus* Dei, qui est conseruatio virium, qua res agentes sunt praeditae. Praeterea vt summum, quem in hoc mundo sibi propositum habet finem (§. XXXVIII.), Deus consequatur, opus est, vt omnia, quae in hoc mundo fiunt, ad illum dirigat, in quo eius consistit *Gubernatio*. Conseruatio cum gubernatione coniuncta constituit *Prouidentiam* Dei, quae est eius perpetua cura, qua huic mundo prospicit. Ea se extendit non solum ad maxima, sed etiam ad minima. Si enim minima negligeret, neque maximis, quae saepe ex illis oriuntur, satis prouideret. Qui maiestate diuina indignum existimant, paruis intentum esse, non considerant, longe aliam rationem esse Dei, qui sine vlla molestia omnes rerum mutationes intellectu suo infinito habet cognitas, quam regum, qui haud pares sunt omnibus negotiis ad imperii sui administrationem pertinentibus perspiciendis et moderandis et ideo plerumque contenti esse debent, si summae tantum rerum recte praesint.

§. XL.

Recta Dei cognitio hominem non solum impellet ad eum venerandum, amandum et quouis modo celebrandum; sed etiam inprimis eum incitabit ad omnia ea facienda, quae Deo placeant, vt fauorem eius sibi conciliare et ab eius benignitate quaeuis bona, quae ipsi conueniant, sperare possit. Sollicitus ergo erit de voluntate Dei exquirenda, quam tanquam praescriptum sequatur et ad quam vitam suam conformet. Hanc vero inueniet, si attenderit ad finem, ad quem omnia in mundo retulit Deus (§. XXXVIII.) et ad naturam suam, ad quid sit disposita et constituta. Nam cum Deus vult, vt quaeuis res in hoc mundo tam bona sit, quam esse possit, et cum natura hominis ad ea tendit, quae ad sui perfectionem faciant, satis est clarum, hominem recte agere, si bona, quibus gaudet, quantum fieri potest, conseruare, augere, bene impendere et ordinis, in quo est positus, semper tenax esse studet.

§. XLI.

Magnum igitur est discrimen inter hominis *actiones liberas* siue eas, quae ab arbitrio eius pendent. Aliae enim *in se* sunt *bonae*, honestae et laudabiles; aliae *in se malae*, turpes et vituperandae. Illae cum multis commodis et hae cum multis coniunctae sunt incommodis. Illae hominis naturae conueniunt, hae autem illi repugnant. Qui in bonis actionibus se exercet, *virtutis studiosus*, qui autem in malis actionibus est assiduus, *vitio deditus* appellatur. Est enim *virtus* firma quaedam facilitas siue, vt vulgo dicunt, habitus bonas peragendi actiones et *vitium* habitus malas perpetrandi actiones. Virtus cum animo religioso coniuncta est *pietas* et vitium cum religionis contemtu sociatum *impietas*.

De regula morum multum olim inter se disputarunt veteres philosophi. *Stoici* eam in eo ponebant:

naturae

naturae conuenienter viuendum esse; *Epicurei* in omnibus voluptatem esse sectandam volebant; *Peripatetici* autem omne nimium esse fugiendum et mediocritati in omnibus studendum rebantur. Quomodo hae certo modo componendae sint lites, IO. MATTH. GESNERVS docet in Oratione: *vtilitas honesti mater, non iudex.* Göttingae 1756. 4. euulgata. Ex mente Anglorum quorundam in iudicio de virtutibus et vitiis omnia ad *sensum moralem* siue ad naturalem quandam perceptionem pulchritudinis et turpitudinis actionum nostrarum sunt reuocanda. Cum autem in multis hominibus valde corruptus est sensus moralis, non tantus eius videtur esse vsus, quantum illi existimant.

§. XLII.

Quamuis religionis et virtutis studium etiam in hac vita multum ad hominis felicitatem conferat et contra religionis neglectio et vitiorum amor eam impediant et grauissimorum malorum sint causae; quoniam tamen interdum multis aduersis premuntur boni et prosperitate quadam mali gaudent et quoniam infinita Dei est bonitas et iustitia, exspectanda videtur esse adhuc alia post mortem vita, in qua factorum suorum meritam vnusquisque accepturus sit mercedem. Inde euenit, vt iam ab antiquissimis temporibus inter plurimas gentes *doctrina de animae immortalitate* non minima religionis pars sit habita et vt philosophi varia ad hanc doctrinam firmandam excogitauerint. Recentioribus inprimis temporibus summopere in eo elaborauerunt plerique philosophi, vt certis argumentis, animam hominum post corporis mortem superstitem futuram esse euincerent.

Aegyptios refert HERODOTVS Lib. II. c. 123. p. 162. edit. Wesselingii primos animam immortalem esse dixisse,

dixisse, sed quae addit, indicant, id de animae in diuersa animalium corpora transitione intelligendum esse. Secundum CICERONEM *Tuscul. Quaest.* L. I. c. 16. §. 38. PHERECYDES primus dixit, animos hominum esse sempiternos. De THALETE idem affirmat DIOGENES LAERTIVS in *vita eius* p. 16. ex edit. Casauboni. Graecos veteres hac opinione fuisse imbutos, ex HOMERI ODYSSEAE Lib. XI. discimus. Descriptio inferorum in VIRGILII *Aeneid.* Lib. VI. quae tunc temporis de statu hominum post mortem credita sint inter Romanos, declarat. Druidas Gallis persuasisse, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios ipsamque mortem longae vitae mediam esse, IVL. CAESAR *de bello gallico* L. VI. c. 14. §. 5. STRABO L. IV. p. 302. et LVCANVS *Pharsaliae* L. I. v. 455-462. memorant. PLATO in *Phaedone* Socratem de animae immortalitate egregie disputantem inducit et CICERO *Tusc. Quaest.* L. I. c. 12. seqq. et *de Senectute* c. 21-23. pluribus argumentis, animam morti non esse obnoxiam, tuetur.

§. XLIII.

Animae immortalitatem siue perennem eius post mortem corporis durationem cum continuata sui conscientia vel prioris status sui memoria coniunctam vt demonstrent philosophi, partim animae naturam, partim perfectiones Dei, quae animae interitui sint contrariae, in subsidium vocant. Sane de anima constat, eam natura sua esse *simplicem* et ex nulla materia concretam, idque non solum inde perspicitur, quod ex nulla corporis proprietate deduci et explicari potest vis cogitandi, sed etiam quod diuersae cogitandi rationes, perceptio, iudi-

iudicium et ratiocinium ſimplici ſemper actu nituntur et omne compoſitum reſpuunt. Repugnat ergo cogitatio naturae rei compoſitae ſiue materiae. Si igitur anima eſt ſimplex et ex nullis partibus compoſita, neque in partes diſſolui et hoc modo deſtrui poteſt. Deus quidem, ſi omnipotenti ſua vi vti vellet, animam ad nihilum redigere et ſic efficere poſſet, vt interiret, eum autem hac vi nunquam vſurum eſſe propter ſuam ſapientiam, quae nihil in mundo hoc perire modo patitur, confidere licet.

De animae natura omnis materiae experte conſulatur inprimis MARTINI KNVTZEN *Diſſertatio de humanae mentis natura indiuidua.* Lipſiae 1745. 8. Non vero omnes, qui animam volunt eſſe concretam, eius immortalitatem negant. Sunt enim nonnulli, qui exiſtiment, materiam, ex qua conſtat anima, tam arcto vinculo eſſe copulatam, vt illud nulla ſoluere valeat vis naturalis. Id inter alios adſerit FR. CAR. CASIMIR *a* CREVTZ in dem *Verſuch über die Seele.* Francof. et Lipſiae 1753. 1754. 2 Partibus 8.

§. XLIV.

Ex perpetua animae humanae duratione tantum intelligitur, quod immortalitatis ſit capax, non autem quod huius boni neceſſario debeat particeps fieri. Vt igitur perennem eius durationem cum prioris ſtatus memoria coniunctam fore ſperemus, ad perfectiones diuinas, inprimis *ſapientiam*, *bonitatem* et *iuſtitiam* vt reſpiciamus neceſſe eſt. *Sapientia* Dei non permiſſura eſſe videtur, vt anima humana tam excellentibus facultatibus, meliorem ſemper frugem promittentibus, inſtructa, quaſi ante meſſem demetatur. *Bonitas* Dei requirit, vt verae pietatis et virtutis cultores omnis generis felicitate et ſummo fruantur bono, quod cum vel tantum ex parte, vel inter-

interdum ne ex parte quidem in hoc fit aeuo, omnino alia adhuc exſpectanda eſt vita, in qua merita reportabunt praemia omnes boni, inprimis qui ob veritatem et meliorem cauſam multa hic perpeſſi ſunt mala. Denique vt nullus relinquatur locus de *iuſtitia* Dei dubitandi, cum hic multa hominum ſcelera maneant impunita, non poteſt non tempus quoddam inſtare, quo malis rependentur mala, quibus alios eosque inſontes affecerunt.

De diuerſa ratione animae humanae immortalitatem demonſtrandi agit IOACH. OPORINVS in *hiſtoria critica doctrinae de immortalitate mortalium.* Hamburgi 1735. 8. Multo ingenio in hac doctrina firmanda vſus eſt doctus Iudaeus MOSES MENDELSSOHN in libello germanico: *Phaedon oder über die Unſterblichkeit der Seele in dreyen Geſprächen.* Berolini et Sedini 1767. et deinde 1768. 8. Valde quoque laudanda eſt Commentatio hoc titulo inſcripta: ABR. GOTTHELF KAESTNERS *Erläuterung eines Beweisgrundes für die Unſterblichkeit der menſchlichen Seelen.* Göttingae 1767. 4. Varia diuerſorum pro animae immortalitate argumenta collecta et diiudicata inuenies in IVSTI CHRIST. HENNINGII *Geſchichte von den Seelen der Menſchen und Thiere.* Halae 1774. 8. p. 331-440.

§. XLV.

Vt verum fateamur, quamuis quaedam ad hanc doctrinam adſtruendam excogitata argumenta magnam veri habeant ſpeciem et ad certam probationem proxime accedant, nullum tamen huc vsque in medium prolatum, quantum quidem iudicare poſſumus, omnibus numeris abſolutae demonſtrationis, qua quoduis excludatur dubium, vicem ſuſtinet; id quod non eſt mirum, cum de

re

re futura, quam ratio certo praeuidere nequit, et de consilio Dei, quod nobis plerumque est absconditum, agatur. Contenti tamen esse possumus hac ex tam valde probabilibus rationibus orta persuasione et, si sapimus, doctrinam hanc, qua humanae naturae tantopere extollitur dignitas et in qua religionis quasi vertitur cardo, leuioribus nobis eripi non patiemur ratiunculis.

Quid de libro PLATONIS *de animae immortalitate* iudicet CICERO, ex *Tusc. Quaest.* Lib. I. c. 11. constat. Magnam olim inuidiam sibi concitauit POMPONATIVS, cum in libro *de immortalitate animae* c. XV. p. 124. scriberet: *nullas rationes naturales adduci posse cogentes, animam esse immortalem*, qui tamen, quod doctrinam hanc ideo non negabat, suos habuit defensores.

§. XLVI.

Non ergo sunt audiendi, qui animae humanae plane tollunt immortalitatem et vel eam totam a corpore pendere et cum eo tanquam eius partem interire arbitrantur; vel *Metempsychosin*, qua anima post mortem amissa sui memoria semper noua vel hominum vel brutorum animantium induere corpora ponitur, probant; vel eam post mortem *somno perpetuo* sopitam esse volunt. Somnus enim animae perpetuus ab eius morte non differt. Alia autem ratio est somni animae per aliquod tempus tantum durantis, qui immortalitati eius non obest.

Inter veteres ex mente Epicureorum LVCRETIVS Lib. III. v. 94. seqq. animam corpoream esse et cum corpore exstingui aliis persuadere voluit; etiam PLINIVS *Hist. nat.* Lib. VII. c. 55. omnem suam in eo posuit operam, vt vanam de animae immortalitate opinionem esse ostenderet, quorum placita, quod dolendum, hodie a quibusdam valde probantur.

tur. *Metempſychoſin*, quam PLINIVS loco citato *transfigurationem* vocat, Pythagorei olim ſunt amplexi. Quaenam eorum de illa fuerit ſententia, GVIL. IRHOVIVS *de Palingeneſia veterum*. Amſtelod. 1733. 4. exponere ſtuduit. Conf. etiam WILH. GOTTL. VANGEROW *diſſertatio*, *Praeſide* IOH. FR. STIEBRITZ *habita*, de Μετεμψύχωσι *veterum*. Halae 1765. Opinionem hanc inter Indiae populos ad hunc vsque diem vigere, quaedam docent itineraria. De ſomno animae, quem *Pſychopannychitae* tuentur, noſtro tempore poſt HEYNII conatus eum defendendi multum eſt diſputatum. De ſcriptis illa occaſione euulgatis vid. HEINSII *Kirchen-Hiſtorie* Parte III. p. 1340. ſeqq.

§. XLVII.

Multa, quae ad religionem naturalem ſpectant, tam ſunt clara, vt omni tempore a plerisque cognoſci potuerint hominibus, quoniam autem communibus notionibus et veritatis perſcrutandae ſtudio neglectis magis autoritate, quam rationibus haud pauci mouentur, factum eſt, vt partim ignorauerint quaedam maximi momenti, quae de Deo et rebus diuinis ſana docet ratio, partim vt in graues circa religionem inciderint errores (§. XVI.) Veram autem religionis naturalis cognitionem iam olim adiuuerunt *philoſophi gentiles aliquot celebriores* v. g. PYTHAGORAS, ANAXAGORAS, SOCRATES, PLATO, ARISTOTELES, CICERO, SENECA, PLVTARCHVS et alii, in quorum trium priorum dictis, ab aliis memoriae proditis, et in reliquorum expreſſe nominatorum ſcriptis multae praeclarae de Deo et cultu ei exhibendo exſtant ſententiae. Non etiam ſine fructu fuit eorum ad ſapientiam inſtitutio, cum illa plu-

res

res sunt excitati ad religionis a superstitione alienae genuinam indolem exquirendam.

Conferri hic inprimis meretur TOBIAE PFANNERI *Systema Theologiae gentilis purioris.* Basileae 1679. 4.

§. XLVIII.

De ratione, qua veterum gentilium philosophi nonnulli ad tam insignem religionis naturalis peruenerint scientiam, non idem sentiunt omnes. Eam alii *ex traditione* a primis hominibus deriuanda, cuius varia vel in ipsa Graecorum et Romanorum mythologia veteri inuenerunt vestigia Vossius, Bochartus et Huetius; alii vel *ex commercio cum Iudaeis*, vel *ex Scripturae sacrae lectione* eos accepisse volunt, quod postremum de plerisque gentilium philosophis, inprimis de PYTHAGORA et PLATONE, IOSEPHVS, IVSTINVS MARTYR, TATIANVS, THEOPHILVS ANTIOCHENVS, CLEMENS ALEXANDRINVS, TERTVLLIANVS, EVSEBIVS, THEODORETVS et alii ecclesiae patres affirmant. Sed cum pleraque valde incerta videntur esse, quae de quacunque via, qua ex reuelatione diuina philosophi gentiles profecerint, dicuntur, non dubitant alii sapientiam eorum in rebus diuinis ingenii acumini, quo pollebant et studio, veritatis perscrutationi ab ipsis impenso, tribuere.

In hanc rem prae aliis diligenter inquisiuit ASHLEY SYKES in *Examine fundamentorum et connexionis religionis naturalis et reuelatae*, ex anglico gallice verso. Amstelod. 1742. 8. Tomo II. cap. 15. De illa ita iudicat LEIBNITIVS in *epistola ad Hanschium* in Collectionis Kortholtianae epistolarum suarum Vol. III. p. 64. *vtrum ab Hebraeis aliquid didicerint* PYTHAGORAS *et* PLA-

TO, *cum nemine litigare velim; hactenus, quod id credi suadeat, non animaduerti.*

§. XLIX.

Longe adhuc melius de religionis naturalis cultura meriti sunt *philosophi christiani, praecipue recentiores.* Eximia in omni philosophia, maxime autem in physicis et astronomicis, inuenta multum contulerunt ad cognitionem Dei et hominis naturae illustrandam et augendam. Ipsa Scriptura sacra interpretum doctorum et sagacium curis melius explicata et intellecta, quam olim, facem ipsis praetulit in totius religionis ambitu et naturalis cum reuelata consensu indagando.

Magnae sunt LEIBNITII partes in religionis naturalis scientia promouenda, praecipue quod solida eius posuit fundamenta in *Theodicea.* His WOLFIVS et alii plura deinde superstruxerunt. DERHAMVS in *Physico - Theologia* et *Astro - Theologia* et quidam alii eius exemplo permoti, quomodo rerum naturalium fines Dei sapientiam declarent, docuerunt. Praecipua religionis naturalis capita bene pertractauerunt IOH. ALPH. TVRRETINVS in XII. prioribus Dissertationibus in Volumine primo *Dilucidationum suarum philosophico - theologico - dogmatico - moralium.* Lugd. Bat. 1748. 4. H. S. REIMARVS in den *vornehmsten Wahrheiten der natürlichen Religion in X. Abhandlungen erkläret und gerettet.* Hamburgi 1766. et ed. quarta 1772. 8. et IOH. FR. WILH. IERVSALEM in parte prima *der Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion.* Brunsuigae 1768. et iterum ibid. 1769. 8.

§. L.

Magnum *vsum religionis naturalis*, vel si sola retineatur, vel in religione quacunque instituta, etiam christia-

christiana, esse, nemo facile negauerit. Si quis sola religione naturali est contentus, vel quod nullam meliorem cognouit, vel quod eam, quam alii meliorem iudicant, examine instituto probare nequit, multum praestabit hominem omnis religionis expertem et in pluribus virtutibus, ex praeceptis sanae rationis semper viuendo, poterit excellere. In religione quacunque instituta nunquam non respiciendum est ad religionem naturalem, quo magis enim cum hac consentit, eo est melior (§. XIII.) Hunc cum religione naturali consensum etiam religionem christianam maxime commendare, postea videbimus.

§. LI.

De *religionis naturalis praestantia* non eodem modo iudicant omnes. Eam solam veram et perfectam esse contendunt Naturalistae. Veram quidem eam et perfectam, reuelationem tamen diuinam valde vtilem generi humano habent alii, quia non satis ad ea, quae sana praecipiat ratio, plerique attendunt homines. Alii, vt eo magis reuelationem extollant diuinam, nimis eleuant religionis naturalis vtilitatem eamque post Adami lapsum fere omnem suam dignitatem et autoritatem amisisse arbitrantur. Prudentiores autem inter Theologos agnoscunt, nos religione naturali, tam ad reuelationis diuinae veritatem demonstrandam, quam ad illam recte intelligendam et applicandam, nullo modo carere posse et quamuis concedant, eam ex parte esse imperfectam, semper tamen illam tanta veritatis luce gaudere sibi persuadent, vt, praesertim si cum reuelatione coniungatur, summi sit pretii et perpetuum nostrum requirat studium.

De *Naturalistarum* scriptis conferatur *Encyclopaedia* nostra *theologica* §. CCCXLI. litt. d. Reuelationem diuinam vtilem quidem esse, nihil tamen ad religionem naturalem addere putat SYKES in libro,

§. XLVIII. iam citato. Diuerſorum de religione naturali ſententias adfert, ſuo addito iudicio, IOH. FR. COTTA in *Exercitatione de religione in genere ac ſpeciatim naturali.* Tubingae 1761. Praeſtantiam religionis naturalis prae aliis praedicant TVRRETINVS in *Dilucidationum* ſuarum Vol. I. p. 7-11. et BELLOSOBRIVS in *Concionibus gallice ſcriptis* ad Ioh. XI. p. 342.

§. LII.

Quod hominibus non tantae ſit vtilitati religio naturalis, quantae eſſe poſſet, id maximam partem culpae eorum eſt tribuendum. Partim enim non eam, quam fieri oporteret, adhibent operam, vt omnia et ſingula, quae complectitur, penitus cognoſcant; partim praeceptorum eius autoritas minus apud eos valet, quam valere deberet. Fatendum tamen eſt, plurimos ob varia vitae, quibus diſtinentur, negotia et ob rectae inſtitutionis penuriam carere occaſione ingenium ſuum ſatis exercendi, quo fit, vt ſaepe in ſumma eorum, quae ſana iubet ratio, verſentur ignorantia. Id vero in religione naturali non ſine cauſa deſideratur, quod nihil certi de doctrinis quibusdam grauioribus, vt de origine mundi, de mali praeſertim moralis primo fonte, de ratione veniae peccatorum a Deo obtinenda, de vita poſt mortem futura nobis poſſit tradere. Hanc igitur ob cauſam optanda eſſet reuelatio diuina, qua ipſi religioni naturali maior conciliaretur autoritas et vtilitas et qua quaedam, quorum ſcientia maxime ad hominis felicitatem facit et quae ſolius rationis ope exquiri non poſſunt, ſupplerentur.

Quam miſera olim religionis inter gentiles fuerit conditio et quam parum de vnius Dei cultu, de regula morum et de hominis poſt mortem ſtatu reuelatione deſtituti homines priſcis intellexerint temporibus,

bus, inter alios bene oſtendit IOH. LELAND in libro anglice ſcripto *de vtilitate et neceſſitate reuelationis chriſtianae*, qui Londini 1764. duobus in 4 Voluminibus prodiit, ex quo verſionem germanicam in compendium redactam confecit LVD. GOTTLIEB CROME, quae ſub hoc titulo: IOH. LELANDS *Erweis, daſs die chriſtliche Offenbarung nützlich und nothwendig ſey*, Göttingae et Gothae 1768. 8. eſt euulgata.

CAPVT III.

DE SCRIPTVRA SACRA.

§. LIII.

Scriptura ſacra, quae etiam *Biblia* vocatur, eſt collectio librorum, quos partim veteres Hebraei, partim primi Chriſtiani in religione ſua claſſicos habuerunt et quorum pars altera religioni iudaicae et altera chriſtianae recte cognoſcendae et firmandae maxime inſeruit. Illa *vetus* et haec *nouum Teſtamentum* ſiue *Foedus* dicitur. Illud ſolum Iudaei et vtrumque Chriſtiani adhuc magna proſequuntur veneratione.

§. LIV.

Libri veteris Teſtamenti, iam ante natiuitatem Chriſti ab autoribus ſuis hebraice praeter quasdam particulas chaldaicas ſcripti, *a Chriſtianis diuiduntur* ratione praecipui argumenti in *hiſtoricos*, *dogmaticos* et *propheticos*, *a Iudaeis* in *legem*, *prophetas* tam *priores*, quam *poſteriores* et *hagiographa*. Propter commodiorem lectionem ſinguli libri in maiores et minores partes

iam a Iudaeis et poſtea in capita a Chriſtianis ſunt diſtincti.

Diuiſionem Librorum Vet. Teſtamenti, qua Iudaei vtuntur, valde veterem eſſe ex Lucae XXIV, 44 nec non ex IOSEPHO Lib. I. *contra Apionem* §. 8. perſpicitur. De partitionibus codicis hebraei multis agit IOH. GOTTLIEB CARPZOVIVS in *Criticae ſacrae vet. Teſtamenti* P. I. c. 4. DANIELEM Iudaei absque iuſta cauſa non inter prophetas, ſed hagiographa retulerunt, cum et Chriſtus Matth. XXIV, 15 et IOSEPHVS *Antiquitat. iud.* Lib. X. c. 11. §. 7. eum prophetam et poſterior maximum vocant.

§. LV.

Inter *ſcripta hiſtorica V. T. quinque libri Moſis*, quorum ſine dubio Moſes ipſe autor fuit, ſi vltimum caput Deuteronomii et quaedam diuerſis locis a poſteriori manu addita excipias, primum occupant locum. Habent illi omnes ſummae antiquitatis notas et propter vetuſtiſſimorum temporum et deinde Hebraeorum eorumque religionis hiſtoriam et huius gentis leges, quas continent, a quouis magni ſunt aeſtimandi. In reliquis ſcriptis hiſtoricis partim maioris momenti res geſtae et fata Hebraeorum, ab eorum in terram Canaan ingreſſu vsque ad captiuitatem babylonicam et, quae per aliquod tempus poſt reditum ex illa inter eos contigerunt, narrantur vt in *libro Ioſuae*, *Iudicum*, *duobus libris Samuelis*, *Regum*, *Chronicorum*, *libro Eſrae* et *Nehemiae*, partim res quaedam priuatae vnius familiae et facta particularia exponuntur, vt in *libro Ruthae* et *Eſtherae*. Plerorumque horum librorum autores parum ſunt noti, nec, an omnes fuerint prophetae, ſatis conſtat. Etiam de tempore, quo ſcripti ſint, ob veterum memoriarum defe-

defectum nihil certi definiri poteſt. *Scripta dogmatica*, in quibus maxime moralia, ſiue praeclara vitae praecepta, traduntur, ſunt *liber Iobi*, cuius verus autor et tempus, quo elaboratus fuerit nec non haud pauca, quae ad Iobum ipſum ſpectant, latent; *Pſalmi*, quorum tantum partem Dauid et reliquos diuerſi alii compoſuerunt; tres libri Salomonis *Prouerbia*, *Eccleſiaſtes* et *Canticum canticorum*, in quorum vltimo, quod non intellexerunt, ſingularia quaeſiuerunt myſteria nonnulli. Iobus, Pſalmi et Prouerbia dicuntur *libri poetici*. *Prophetae*, qui partim concionibus ad populum habitis, partim vaticiniis ſuis religionis ſtudium promouerunt, ſunt vel *maiores: Ieſaias*, *Ieremias*, cui adiunguntur *Threni*, *Ezechiel* et *Daniel*, vel *minores*: *Hoſeas*, *Ioel*, *Amos*, *Obadia*, *Ionas*, *Micha*, *Nahum*, *Habacuc*, *Zephanias*, *Haggaeus*, *Zacharias* et *Malachias*, quorum tres poſteriores poſt captiuitatem Babylonicam, priores ante eam et *Ieremias*, *Ezechiel* et *Daniel* etiam ſub illa vixerunt.

MOSEN *Pentateuchi autorem* eſſe, a quibusdam viris doctis, quorum ſcripta *Encyclopaediae* noſtrae *theologicae* §. CCCLIV. litt. a indicauimus, luculenter eſt demonſtratum. His addantur *Briefe über die Moſaiſchen Schriften und Philoſophie. Erſte Sammlung*. Brunſuigae 1762. 8. De reliquis librorum V. T. ſcriptoribus videantur ad eundem Paragraphum *Encyclopaediae* a nobis monita et ibi nec non §. CCCLIX. citati, qui vberiorem eorum dederunt notitiam.

§. LVI.

Libri N. T. quos graeca lingua ab Autoribus ſuis primo iam ſeculo poſt Chriſtum natum ſcriptos habemus, etiam diuiduntur in *hiſtoricos*, *dogmaticos* et *vnum prophetiꝫ*

pheticum. *Hiſtorici* ſunt: *quatuor euangelia*, nempe *Matthaei*, *Marci*, *Lucae* et *Iohannis*, in quibus de vita et doctrina Ieſu Nazareni, religionis chriſtianae fundatoris, maxime memorabilia recenſentur et *Acta Apoſtolorum*, in quibus priores conatus Apoſtolorum et praecipue Pauli in diuulganda doctrina chriſtiana inter Iudaeos et gentiles a Luca deſcribuntur. Ad *dogmaticos*, in quibus varia religionis chriſtianae capita ab Apoſtolis familiari ſermone pertractata legimus, referuntur *tredecim epiſtolae Pauli*, *vna ad Romanos*, 2 *ad Corinthios*, *vna ad Galatas*, vti et *ad Epheſios*, *Philippenſes*, *Coloſſenſes*, 2 *ad Theſſalonicenſes*, 2 *ad Timotheum*, *vna ad Titum* nec non *ad Philemonem*, quas ſequuntur *ſeptem epiſtolae catholicae:* 2 *Petri*, 3 *Iohannis*, *Iacobi* et *Iudae*, has vero excipit *epiſtola ad Hebraeos*, quae a multis Paulo adſcribitur, quanquam de vero eius autore nihil certi decerni poteſt. *Propheticus liber*, qui finem N. T. occupat, eſt *Apocalypſis Iohannis*, in qua futura eccleſiae chriſtianae fata praedicta eſſe vulgo creduntur. Pleraque, quae de tempore, quo hi libri ſint exarati, dici ſolent, nituntur tantum coniecturis, cum, quarum mentionem faciunt ſcriptores eccleſiaſtici, traditiones valde a ſe inuicem diſſident, et alia nobis deſunt hiſtorica monumenta, quae noſtram hac de re diſquiſitionem adiuuare poſſent. Iam apud veteres *maiores* quaedam et *minores N. T. ſectiones* in vſu erant; hodierna autem eius diſtributio in capita, a temporibus THEOPHYLACTI et in verſus, a ROBERTO STEPHANO eſt repetenda.

Secundum HENR. OWENVM in *Obſeruationibus ad quatuor Euangeliſtas* anglice 1764. publicatis, quarum germanica exſtat verſio in dem *Brittiſchen theologiſchen Magazin*, Vol. III. p. 816. ſeqq. MATTHAEVS euangelium ſuum ſcripſit Hieroſolymae

mae, anno 38 poſt Chriſtum natum, in vſum Chriſtianorum, qui antea fuerant Iudaei; LVCAS, lecto Matthaei euangelio ſuum confecit Corinthi, anno 53 in vſum eorum, qui ex gentilibus ad religionem chriſtianam ſe conuerterant; MARCVS ex Matthaei et Lucae euangelio fecit compendium, quod Romae, anno 63, cuiusuis generis Chriſtianorum lectioni deſtinauit; IOHANNES, cui tria priora euangelia fuerunt cognita, ſuum exarauit Epheſi, anno 69, quo praecipue CERINTHI et aliorum haereticorum errores ſibi ſumſit refutandos. Quod trium priorum Euangeliſtarum nullus ab altero ſcripta viderit et legerit, variis rationibus, quae tamen non ſatis firmae eſſe videntur, probatum iuit NATHAN. LARDNERVS in Commentatione quadam hac de re, quae germanice verſa inſerta eſt Parti VIII. p. 343 ſeqq. der *vermiſchten Abhandlungen und Urtheile über das Neueſte aus der Gelehrſamkeit.* De tempore, quo primum prodierunt ſinguli N. T. libri, ſententias ſuas dicunt MILLIVS in *prolegomenis ad N. T.* et WETSTENIVS in *praefatione*, cuiuis horum librorum praemiſſa, quibus ſunt adiungendi, qui introductionem in omnes N. T. libros ſcripſerunt et quorum habes recenſum in *Encyclopaediae* noſtrae *theologicae* §. CCCLIX, vbi etiam ad §. CCCLV de horum librorum ſcriptoribus quaedam ſunt notata. In quodnam tempus cuiusuis epiſtolae Paulinae incidat elaboratio, etiam BENSON ad Acta Apoſtolorum, qui tamen de illis, quae poſt primam Pauli captiuitatem Romanam ſunt ſcriptae, nihil meminit, et TAYLOR ad epiſtolam ad Romanos, definire ſtuduerunt.

§. LVII.

Si libri tam V. quam N. Testamenti tantum vt *humani* considerantur, sua praestantia et vtilitate iam summopere se commendant. Ex sola enim eorum lectione colligitur: 1) quod ad tempora valde antiqua sint referendi, vt adeo ad veterem historiam et priscarum gentium instituta perdiscenda multum conferant; 2) quod eorum autores sincera pietate et religionis verae scientia fuerint insignes, cum in omnibus dictis suis animum Deo maxime deuotum spirant et plura ac meliora de religione naturali habuerint perspecta, quam vlli gentilium philosophi; id quod eo est admirabilius, quod iis vixerunt temporibus, quibus partim reliquae gentes omnis generis superstitioni et grauissimis de Deo et cultu ei exhibendo erroribus fuerunt deditae, partim quibus ipsa religio iudaica, quam antea profitebantur, suam amiserat puritatem et foedis inquinata erat deliramentis, quae tamen non impediuerunt, quo minus in iis omnibus saperent, quae de rebus diuinis et verarum virtutum indole sana docet ratio; 3) quod in iis, quae narrant, fide sint digni. Agunt enim de iis rebus, quibus vel interfuerunt, vel quas probe potuerunt nosse. Sic MOSES multa refert et a se et coram oculis suis gesta; quae autem habet in *Genesi* de rebus ante se peractis, e monumentis quibusdam antiquioribus sumsisse iure creditur. Quae in reliquis V. T. libris occurrunt historicis, partim a scriptoribus eiusdem, qua illa acciderunt, aetatis memoriae sunt tradita, partim e tabulis publicis a scribis huic negotio destinatis in ordinem et saepe in compendium redacta. MATTHAEVS et IOHANNES vitae Christi per aliquot annos testes, quae in euangeliis suis commemorant, ipsi viderunt et audiuerunt. MARCVS PETRI et LVCAS PAVLI itinerum comites ad euangelia sua componenda optimis instructi fuerunt subsidiis. Quae in *Actis Apostolo-*

stolo-

ſtolorum de primo eccleſiae chriſtianae ſtatu litteris conſignauit LVCAS, ea partim accepit ab Apoſtolis, partim per ſe habuit cognita. Magna quoque, qua hi ſcriptores praediti erant, pietas et totus animi eorum character, vt dictis eorum omnem habeamus fidem, nos commouere debent. Quam vel in mirabilibus, quae narrant, merentur, quia cum reliquis factis, de quibus dubitari nequit, iſta tam arcto cohaerent nexu, vt ſi ea tanquam cauſas tollas, altera ſubſiſtere non poſſint; 4) quod omnia in his libris eo tendant, vt valde populari ratione vera doceatur religio. Ideo in hiſtoriis, quae leguntur relatae, ea praecipue ſunt notata, quae nos de prouidentia diuina reddant certos, quae vitiorum turpitudinem et mala cum illis coniuncta et virtutum pulchritudinem et quaecunque ex illis ſperanda bona variis exemplis nobis ponant ante oculos; praecepta moralia in adhortationibus, comminationibus, conſolationibus, ſententiis virorum ſapientium, canticis et parabolis modo valde claro proponuntur. Ipſe cultus Dei externus cum caerimoniis in eo obſeruandis, qui praeſcribitur, eo tantum ſpectat, vt ad verae religionis ſtudium eo magis ducantur homines et in eo, quantum fieri poteſt, confirmentur.

Quod ea, quae in libris V. T. de rebus aliarum gentium memorantur, cum hiſtoria priſca, quam ſcriptoribus gentilibus debemus, in plurimis conſentiant, inter alios oſtenderunt SCHVCKFORDVS et PRIDEAVX. Librorum N. T. fidem ſimili ſtabiliuit ratione LARDNERVS.

§. LVIII.

Quoniam autem in his libris multa leguntur de vera religione diuerſo tempore ab ipſo Deo ſingulari modo conſtituta, de quorum veritate ſcriptorum horum in aliis probata ſinceritas nos dubitare non patitur; quoniam horum

rum librorum autores partim prophetae partim apoſtoli, diuinitus illuminati, et alii quidam viri extraordinariis Dei dotibus praediti fuerunt; quoniam denique haud pauca in his libris occurrunt vaticinia, quibus reſpondit euentus et quae non niſi a Deo proficiſci potuerunt: Scripturam ſacram dicimus continere *diuinam de vera religione reuelationem* et illi in rebus ad veram religionem ſpectantibus autoritatem maiorem, quam omnibus ſcriptis humanis, tribuimus.

§. LIX.

Deus quidem voluntatem ſuam omnibus hominibus per lumen rationis reuelauit, id quod ipſe Paulus affirmat Rom. I, 19. 20; ſed cum hic de *diuina* loquimur *reuelatione*, intelligimus plane extraordinariam ſiue ſupernaturalem ſummi Numinis declarationem de religione ad voluntatem ſuam inſtituenda. Eiusmodi reuelationem iam antiquiſſimis temporibus, deinde per Moſen et alios prophetas, denique per Chriſtum et Apoſtolos hominibus contigiſſe, teſtantur ſcriptores ſacri Hebr. I, 1. 2. conf. etiam Lucae X, 21. Ioh. XVII, 6. 1 Cor. II, 10.

§. LX.

De reuelatione diuina in genere haec notentur: 1) ea non poteſt non religionem naturalem confirmare; quoniam enim ſanae rationis effatis religio nititur naturalis et ideo eſt vera (§. XIII.) vt ipſi conſentanea ſit reuelatio eamque confirmet, neceſſe eſt. Nam quicquid per rectam rationem cognoſcimus aeque a Deo eſt, ac quod nobis ſingulari modo reuelauit (§. LIX.); Deus autem ſibi ipſe repugnare nequit. Ideo etiam in ipſa reuelatione nihil ſibi inuicem contrarium occurrere poſſe merito iudicamus. 2) Debet ea religionis naturalis defectum (§. LII.) ſupplere; ſi enim nihil amplius contineret diui-

na

na reuelatio, quam quod ratione duce iam intelligeretur, iis tantum, qui rationem parum exercent et religionis naturalis non ſatis agnoſcunt autoritatem, foret neceſſaria, non autem illis, qui in naturae interiora, quantum fieri poteſt, penetrare et omnem officiorum ſuorum ambitum proprio ingenio exquirere ſtudent. 3) Certa requiruntur indicia, ex quibus pateat, Deum re vera eiusmodi reuelationem cum hominibus communicaſſe; quibus quidem et hoc eſt adnumerandum, quod omnia in hac reuelatione Deo ſint digna: praecipue tamen ratio habenda eſt eorum, quae extra dubium ponant, non niſi a Deo originem traxiſſe, quae nobis reuelaſſe dicitur, cuiusmodi ſunt miracula et vaticinia.

§. LXI.

Miraculum eſt euentus ſupernaturalis, qui, ſi contingat, non niſi Deo autori eſt tribuendus. Nemo enim praeter Deum hac pollet vi, vt, quicquid per naturam rerum fieri nequit, ſi modo in ſe non plane ſit impoſſibile, efficere valeat. Hanc ob cauſam doctrinam, miraculo quodam confirmatam, a Deo deriuandam et ideo veram eſſe, vnusquisque videt. Solent vero nonnulli aliter iudicare de miraculis, neque ſapientiam Dei permittere, vt contra naturae ordinem aliquid agat, neque eiusmodi facta omni naturae conatu maiora re vera accidiſſe, certo conſtare, ſibi perſuadent; quare ea, quae miraculis vulgo adnumerantur, tantum *prodigia* i. e. phaenomena rariora, quorum cauſae plerisque ſunt ignotae, vel *praeſtigias* i. e. res mira arte peractas et ad alios decipiendos compoſitas, fuiſſe exiſtimant. Quanquam vero, quae contra vulgarem miraculi definitionem a quibusdam proferuntur dubia, non tanti ſunt ponderis, vt eam nos repudiare cogant; aliorum tamen quorundam, qui religioni reuelatae bene cupiunt, de miraculis cogitata, ſi cuidam

dam magis probentur; facile patimur. Ex eorum autem mente, quicquid vim humanam supergreditur et tamen ab hominibus factum esse, ex certo liquet testimonio, *miraculum* est dicendum; posse vero Deum etiam angelos adhibere ad opera nobis maiora perpetranda, vel singulari prouidentia omnia sic moderari, vt facta exsurgant interdum in suo genere vnica, interdum summopere rara iisque veritati, hominibus valde vtili, testimonium dare arbitrantur.

Quae DAVID HVME in suo *tentamine de miraculis* anglice Londini 1760 in 12. emisso disputat ad omnem, quae miraculis adhibeatur, fidem destruendam, examini subiecit GEORGIVS CAMPBELL in *Dissertatione de miraculis* anglice scripta, quae in gallicam linguam a IOH. CASTILLIONEO translata Vltraiecti 1764 in 12. prodiit. Miracula, quorum in Scriptura sacra fit mentio, tantum prodigia esse, SPINOZAE et LOCKIO placuit. Sententiam eorum, qui miracula in Scriptura sacra memorata non nisi prouidentiae Dei singularis specimina habent, prae aliis exornauit BONNETVS. Idem fere de miraculis, in V. T. relatis, senserunt docti quidam Iudaei, vt ANDR. GEORG. WAEHNER in *Antiquitatum Ebraeorum* Vol. II. p. 225. obseruat. Contra hanc sententiam quaedam monet dubia IO. IAC. HOTTINGERVS in *Diatribe philosophico-theologica de miraculis, cui adiectus est Excursus philosophicus ad doctrinam* BONNETI V. C. Turici 1770. 8.

§. LXII.

Prophetia siue *vaticinium* est praedictio determinata rei futurae contingentis, quam nulla sagacitas humana praeuidere potest et cui ex asse respondet euentus non

tamen

tamen a praedictione pendens. Ad verum ergo vaticinium requiritur: 1) vt quaedam rem praeuisam tanquam vnicam determinantia indicentur, si enim fuerit verbis ambiguis conceptum, valde obscurum et vagum, oraculis fallacibus simile dicetur; 2) vt agat de re contingenti, possunt enim res, quae ex necessitate quadam fiunt, ab iis praedici, qui nexum earum cum antecedentibus diligentius sunt rimati; 3) vt res futura non per coniecturam prospici potuerit; 4) vt vaticinium non post euentum sit prolatum, sed vt tempore quodam eum praecesserit; 5) vt non pars tantum eius, sed totum, implementum suum acceperit; 6) ne ansam dederit rei praedictae consummandae.

§. LXIII.

Si iam examinamus reuelationem diuinam, quam Scriptura sacra complectitur, inuenimus, eam religionem naturalem confirmare, cum sana ratione et secum innicem consentire, quod tam de religione iudaica, quam christiana ostendi potest et etiam inde colligitur, quod sacrae paginae rationis vsum vbique inculcant Rom. XII, 1. 1 Cor. X, 15. 1 Thess. V, 21. nec locus 2 Cor. X, 5 ad contrarium probandum valet; deinde eam religionis naturalis defectum supplere, cum diuinas promissiones de bonis cum vera pietate coniunctis, in hac et futura vita exspectandis et multa alia, quae per solam rationem perscrutari non licet, nobis pandit; interdum etiam quaedam sublimiora, quae rationis captum plane superant et quae *mysteria* dicuntur, ex parte detegit; in quibus tamen magna opus est cautione, ne nomen hoc tantum ignorantiae vel erroris nostri sit tegumentum; denique doctrinas insigniores miraculis veris, soli Deo tribuendis Ps. LXXII, 18. confirmatas esse, inprimis religionem iudaicam diuina legislatione per Mosen facta et religio-

nem

nem christianam Christi resurrectione e mortuis, tanquam miraculis clarissimis et, locupletissimis testibus praesentibus, commissis niti, nec non ex vaticiniis pluribus haud fictis, per hos libros sparsis, quae etiam miraculis sunt adnumeranda, constare, eorum autores nomine Dei ad homines locutos esse iisque voluntatem eius declarasse Gen. XLIX. Deuter. XVIII, 15. 18. 19. Ies. LIII. Daniel. IX, 24-27. Matth. XXIV. 2 Thess. II, 1-12. 1 Tim. IV, 1-3. 2 Tim. III, 1-9.

Conf. IOH. ARN. NOLTENII *Dissertatio de argumento pro veritate religionis christianae ex miraculis desumto.* Francof. ad Viadrum 1718. SAM. WERENFELSII *Dissert. de veritate miraculorum in S. Scriptura narratorum et solutio quaestionis, num miracula certa sint veritatis signa?* quae duae dissertationes in eius *opusculis* p. 79-116. exstant, et IOH. ALPH. TVRRETINI Dissert. IV. et VII. Vol. II. *Dilucidationum* eius, quarum prior *de veritate religionis iudaicae* et posterior *de veritate religionis christianae* agit.

§. LXIV.

Reuelatio diuina ante Mosen, saltem per tempus aliquod, *traditione* tantum *propagata*, deinde *scripto est consignata.* Hoc posteriori modo 1) latius diuulgari, 2) longius conseruari et 3) eo melius ab omni corruptione defendi poterat. Scriptores vero, quibus reuelationis huius memoriam posteritati traditam debemus, in libris suis exarandis singulari gauisi sunt auxilio diuino (§. LVIII.), quod *inspirationem* dicere solemus 2 Tim. III, 16. 2 Petri I, 19-21. Eius tamen diuersos fuisse gradus eamque naturalem eorum cogitandi facultatem non exclusisse, ex rerum, de quibus agunt et ex stili, quo vtun-

vtuntur, difcrimine certo modo apparet. Inde etiam diiudicanda eft quaeftio, vtrum ad res tantum, quas tractant, an etiam ad fingula verba, quibus fibi fcribenda exprimunt, diuina fe extenderit infpiratio.

Egregium de diuina fcriptorum facrorum infpiratione libellum confecit IOH. GOTTLIEB TÖLLNER, qui fub titulo: *Die göttliche Eingebung der heiligen Schrift unterfucht*, Lindauiae et Lipfiae 1771. 8. in publicum exiit. Vid. etiam *Encyclopaediae* noftrae *theol.* §. CCCLVII. litt. b.

§. LXV.

Libri diuinitus infpirati, ex quibus Scriptura facra conftat, appellantur *canonici*, quia ad catalogum librorum facrorum pertinent. Valde autem perplexa eft difputatio, fi quaeritur, an omnes et finguli libri, quos fupra (§. LV. et LVI.) recenfuimus, ea gaudeant autoritate, vt ad Scripturae facrae canonem iure fint referendi? Hic vero in genere eft obferuandum: 1) librum vel a propheta vel ab apoftolo, aut faltem viro apoftolico, in vfum ecclefiae fcriptum et rebus reuelatione diuina dignis (§. LX. et LXIII.) refertum non poffe non inter canonicos locum habere, 2) prius ex teftimonio vel ecclefiae veteris iudaicae, fi de libris V. T. vel primae chriftianae, fi de N. T. libris agitur, conficiendum effe; pofterius autem ex ipfa libri lectione perfpici poffe. Ad has igitur notas fi refpicimus, negari nequit, plerosque horum librorum fua fe commendare autoritate. Praeterquam enim quod eorum argumentum valde eft grave et vtile, libri fere omnes V. T. a Chrifto et apoftolis laudantur, quorum teftimonium, quid tunc temporis de illis iudicauerit ecclefia iudaica, fatis declarat et IOSEPHVS Lib. I. *contra Apionem* §. 8. viginti duos numerat libros, qui Iudaeis fint facri, qui numerus plerum-

 que

que ad hodiernum eorum numerum conformatur; etiam plerique N. T. libri ſatis mature a diuerſis eccleſiae chriſtianae coetibus ad vſum ſacrum recepti et probati ſunt. Ex multorum opinione canon V. T. vel ab Eſra vel a magna Synagoga et N. T. a Iohanne Apoſtolo conſtitutus et clauſus eſt; nihil autem certi ab illis profertur, quod huic ſententiae faciat fidem; quae ideo ſuis eſt relinquenda fautoribus.

Diuerſa de Scripturae ſacrae canone ſcripta recenſet WALCHIVS in *Bibliothecae theologicae ſelectae* T. IV. p. 222-224. quibus addatur IOH. SAL. SEMLERS *Abhandlung von freyer Unterſuchung des Canons.* Halae 1771-1775. Partibus IV. 8.

§. LXVI.

Ab altera parte tacendum non eſt: 1) nobis deeſſe quaedam antiqua litterarum monumenta, ex quibus accurata horum librorum hiſtoria, ad totam hanc rem illuſtrandam maxime idonea, capiatur; 2) neque in N. T. omnes libros V. T. adduci, neque ex loco Ioſephi paulo ante memorato ſatis conſtare, an, quem ponit, numero omnes V. T. libros, quos nunc habemus, comprehenderit; 3) iam in vetere eccleſia iudaica ratione canonis aliquem fuiſſe ſententiarum diſſenſum, cum Iudaei Alexandrini plures habuerunt libros ſacros, quam Hieroſolymitani, vt de Samaritanis, qui ſolo contenti erant pentateucho, nihil dicamus, et cum ipſi Talmudici de quibusdam libris ſacris condendis ſiue e canone eiiciendis olim deliberauerunt; 4) etiam in vetere eccleſia chriſtiana in aliis coetibus alios fuiſſe canones et de nonnullis libris diu dubitatum eſſe, an in canonem ſint recipiendi, nempe de *ſecunda epiſtola Petri*, de *ſecunda* et *tertia Iohannis*, de *epiſtola ad Hebraeos*, *Iacobi* et *Iudae*, deni-

que

que de *Apocalypsi.* Quae cum ita sint, non temeritatis accusandum est eorum studium, qui in rationes, ob quas hodiernus Scripturae sacrae canon vulgo sit receptus, paulo diligentius, quam plerumque fieri solet, inquirunt. Hac libertate et patres nonnulli et theologi quidam circa et post reformationem valde celebres sunt vsi; neque religio christiana vllum inde capiet detrimentum, si vnus vel alter liber ob causas valde graues canone iudicetur indignus. Vt aurum igne probatum fit purius; sic eiusmodi examen recte institutum tantum abest, vt Scripturae sacrae aliquid demat, vt potius splendorem eius magis nobis reddat conspicuum.

Nostro tempore duo GEORGII LVD. OEDERI scripta, post mortem eius publicata, occasionem variis de canone Scripturae sacrae disputationibus dederunt. In altero, qui inscribitur: *freye Untersuchungen über einige Bücher des alten Testaments.* Halae 1771. 8. dubia quaedam haud contemnenda contra librum Estherae, duos libros Chronicorum, librum Esrae et Nehemiae nec non contra IX vltima Ezechielis capita mouentur; in altero, qui Halae 1769. 8. sub hoc euulgatus est titulo: *christliche freye Untersuchung über die so genannte Offenbarung Iohannis*, id agitur, vt *Apocalypsin* nec a Iohanne Apostolo scriptam, nec magni aestimandam esse euincatur.

§. LXVII.

Libri apocryphi sunt, qui quidem a nonnullis numero librorum sacrorum fuerunt adscripti, sed qui notas scriptorum canonicorum non habent; eorum alii ad V. alii ad N. T. referuntur. Ex iis quidam partim ob historiam, partim ob praecepta moralia, quae continent, quamuis pluribus scateant naeuis, lectu non sunt inutiles;

plerique vero fabulis et ineptiis pleni autorum suorum satis produnt stultitiam.

Conf. de illis *Encyclopaediae* nostrae *theologicae* §. CCCLII. litt. b. Ecclesia Romana in concilii Tridentini sessione IV. librum Tobiae, Iudithae, Sapientiae, Ecclesiasticum siue Iesum Sirachidem, librum Baruchi et duos libros Maccabaeorum scriptis adiunxit canonicis. *De fide historica librorum Maccabaeorum* contra ERASMVM FRÖLICH praeclaram *commentationem historico-criticam* Wratislauiae 1747, 4. edidit GOTTLIEB WERNSDORFFIVS.

§. LXVIII.

Finis Scripturae sacrae non est alius, nisi vt veram populari ratione doceat religionem et sic hominum perfectionem moralem atque cum illa coniunctam veram eorum promoueat felicitatem. Continet enim diuinam reuelationem, quae circa verae religionis institutionem, conseruationem et propagationem versatur (§. LVIII), et omnia in libris, ex quibus Scriptura sacra constat, eo tendunt, vt valde populari ratione vera doceatur religio (§. LVII. n. 4.); in hoc ergo omnino finis eius est ponendus. Cum autem ipsius religionis finis est hominum perfectio moralis et inde deriuanda eorum felicitas (§. XXI.); ad vtramque etiam Scriptura sacra idonea sit, necesse est Ps. CXIX, 105. Ioh. XVII, 3. Rom. I, 16. 2 Tim. III, 16. 17. Praeterea quoniam omnia, quae ad salutem nostram sempiternam cognitu sunt necessaria, et pleraque, variis modis ac saepius repetita, complectitur Scriptura sacra, ad hunc finem ea sufficit neque alia adhuc opus est reuelatione, quae illius sit supplementum Gal. I, 8. 9. 1 Ioh. II, 20. Ideo Scriptura sacra merito dicenda est *perfecta*.

§. LXIX.

§. LXIX.

Vt Scriptura ſacra religionis verae ſit fundamentum et vt tuto iis, quae nobis credenda et agenda tradit, confidere liceat, *incorrupta* eius requiritur *integritas*, quae in eius cum autographis ſcriptorum ſacrorum conſiſtit conſenſu, quem tamen non in omnibus minutiis, ſed in rebus maioris momenti quaerere nos oportet. Hanc eius integritatem quidam repetunt a ſingulari Dei prouidentia, quae libros hos ab omni corruptione ſeruauerit immunes; quoniam vero eiusmodi diuina cuſtodia ſine continuis miraculis, quorum neceſſitatem merito in dubium vocant prudentiores, non facile poſſet intelligi: ſufficientem alii exiſtimant fuiſſe curam veteris eccleſiae partim iudaicae, partim chriſtianae, ad hunc theſaurum ab omni violatione defendendum. Inprimis etiam hoc vrgent, Iudaeos religione fuiſſe impeditos, quo minus codicem hebraeum ſtudio deprauarent, Maſorethas diligentia ſua ſtupenda, in librorum V. T. recenſione adhibita, omnibus falſariorum conatibus iuiſſe obuiam, et ſi in N. T. libris ab haereticis quibusdam vnius vel alterius loci tentata eſſet corruptio, fraudem ſtatim fuiſſe animaduerſam et pleraque textus ſacri exempla manſiſſe illibata. Verum quamuis haec dictu ſint ſpecioſa, non tamen omni carent dubio. Sane tantopere a nonnullis iactatam textus puritatem plurium codicum manuſcriptorum inter ſe comparatio et inde ampliſſima variarum lectionum facta collectio ſatis redarguunt, neque eſt diffitendum, libris ſacris fere cum omnibus, quae adhuc ſuperſunt, vetuſtis ſcriptis ſortem fuiſſe communem et ſi eccleſiae cura eorum corruptioni ex parte cauit; eam tamen non obſtitiſſe, quo minus vel ſcribarum errore, vel forſitan etiam quorundam dedita opera, vel denique vetuſtate, haud pauca illis irrepſerint vitia, neque aliud huic malo remedium eſſe, niſi vt omnibus artis criticae ſubſidiis admotis

textus integritas, quantum fieri poteſt, reſtituatur. Id etiam eſt addendum, Scripturam ſacram, quod ad praecipuas religionis doctrinas attinet, ea adhuc gaudere integritate, vt, qui eam ſequitur, omnem vitare poſſit errorem ſaluti ſuae noxium; nam, vt a multis iam eſt monitum, fere omnes diuerſae lectiones vel ſenſum non valde immutant, vel in locis, in quibus non de fidei dogmatibus aut vitae praeceptis agitur, occurrunt. Quodſi vero interdum etiam in his lectionis ſit varietas, partim, quod verbum alteri ſit praeferendum, intelligens harum rerum iudex decernet, partim res ipſa ex aliis locis adhuc ſanis et eiusdem argumenti diſci poterit.

De his pluribus in *Critica ſacra* eſt agendum, in qua etiam quaeritur: num quaedam in textu vel ſint omiſſa vel addita? num toti libri vel a prophetis vel ab apoſtolis ſcripti deſiderentur? quibus auxiliis in colligendis et diiudicandis variis lectionibus adiuuemur? etc. Scripta, quae ad Criticam ſacram ſpectant, recenſentur in *Encyclopaediae* noſtrae *theologicae* Cap. XIV.

§. LXX.

Scripturae ſacrae tribuimus *perſpicuitatem*, qua ab iis, qui debitam eius ſenſui percipiendo dant operam, maxime in rebus plerisque vtilibus facile intelligi poteſt. Eam poſtulat eius finis (§. LXVIII.) et valde adiuuat popularis ratio, qua veram docet religionem (§. LVII. n. 4.). Ideo etiam ſaepe comparatur cum lumine Pſ. CXIX, 105. Prou. VI, 23. 2 Cor. IV, 3. 4. 2 Petr. I, 19 et eius inſtituendi modus laudatur Deut. XXX, 11-14. Pſ. XIX, 8. 9. 2 Tim. III, 15. Maior tamen haec perſpicuitas fuit eo tempore, quo linguae, quibus ſcripti ſunt libri ſacri, adhuc erant in vſu, quam poſtea et aeuo noſtro. Eſt quoque cum luce hac, quam nobis oſtendit, quaedam coniun-

coniuncta vmbra et praeter multa valde clara, omnium commodis inferuientia, nonnulla funt obfcuriora non folum in vaticiniis, fed etiam in hiftoricis, geographicis, antiquitatibus aliisque rebus, quae vel eruditiffimorum exerceant interpretum ingenium. Quoniam vero non nifi illis, qui linguas Scripturae facrae authenticas callent, ad eius fontes patet aditus, vt et alii earum ignari, quorum maximus eft numerus, Scripturam facram legant et ex illa in religionis proficiant cognitione, in lingua illis vernacula omni diligentia conficiendae funt *verfiones*, in quibus verus eius fenfus verbis maxime idoneis et plerumque propriis vbiuis exprimatur.

Verfiones Scripturae facrae funt vel *antiquiores*, vel *recentiores*, de illis quaedam notantur in noftrae *Encyclopaediae theologicae* §. CCCLXIX. CCCLXX.

§. LXXI.

In Scripturae facrae *interpretatione*, qua verum eius fenfum eruere ftudemus, ante omnia id eft agendum, vt et vocum et locutionum fingularum vim cognofcamus et rerum iis fignificatarum claras vel, quantum fieri poteft, etiam diftinctas habeamus notiones. Eft autem verborum Scripturae facrae *vnicus* tantum *verus fenfus* isque *litteralis* et *grammaticus*, qui tam ex propria, quam impropria vocum nafcitur fignificatione. In nonnullis locis praeter fenfum litteralem latet fenfus altior, qui *myfticus* dicitur et qui in *typicum*, *allegoricum* et *parabolicum* diuidi folet, cum res verbis indicatae imagines funt aliarum rerum dignitate maiori. Is, quoniam non tam ex verbis quam ex rebus exfiftit, non gignit duplicem fenfum, fed tantum eft applicatio rei, de qua agitur, ad aliam ipfi fimilem, neque locum habet, nifi vel res ipfa eum poftulat, vt in parabolis quibusdam,

quae praeter doctrinam moralem vaticinium continent, vel Scriptura facra quandam eius facit mentionem. Vt Scripturae facrae noftra interpretatione non falfum affingamus fenfum, de omnibus fubfidiis, ad illam intelligendam requifitis, fedulo vtendis folliciti fimus et ab omnibus praeconceptis opinionibus, quibus maxime turbatum eft ftudium exegeticum fummopere nobis caueamus oportet.

Scripta ad Theologiam exegeticam idonea recenfet WALCHIVS in *Bibliothecae theologicae felectae* T. IV. Confer. etiam *Encyclopaediae* noftrae *theologicae* Cap. XV.

§. LXXII.

Qui Scriptura facra *recte* vult *vti*, et ad praeftantiam (§. LXIII.) et ad finem eius (§. LXVIII.) femper attendat neceffe eft. Perfuafio de Scripturae facrae praeftantia et inde deriuanda eius autoritate gignitur, fi exactiori difquifitione inftituta comperimus, ipfi notas omnes, diuinae reuelationi fiue verbo Dei, vti etiam dici folet, proprias (§. LX.) ineffe; magis adhuc illa confirmatur, fi ex diligenti illius lectione fructus capimus eximios et vfu difcimus, vera effe, quae de pietatis vtilitate et de bonis cum religionis cultura coniunctis faepius tradit Ioh. VII, 17. Nonnulli hanc firmam fidem, verbo Dei datam, non nifi ex fupernaturali fpiritus fancti operatione, quam *teftimonium fpiritus fancti* vocant, oriri arbitrantur, in quo tamen quaedam ponunt, quae aliis valde videntur effe incerta.

Omnia argumenta, quibus reuelationis diuinae veritas probatur, non nifi magna gaudent verifimilitudine nec demonftrationem omnibus numeris abfolutam conficiunt, id quod rei natura, cum pleraque fide nituntur hiftorica, non permittit. Nihilominus perfuafio noftra de religione reuelata fatis certa effe

esse potest, si modo animus noster ad veritatem et virtutem est propensus. Hac de re TVRRETINVS in *Dilucidationum* Vol. II. p. 45. ita disserit: *Quarto obiiciunt, quod, si opus fuisset, reuelationem dari, talis esse deberet, vt de ea dubitari nullo modo posset, sed per se euidens esset, atque ad assensum homines cogeret; cum igitur nulla eiusmodi reuelatio habeatur, hinc colligunt increduli, reuelationem necessariam non esse.* Resp. *Verum negamus, talem reuelationem, qualem ipsi imaginantur, religionis indoli ac scopo, adeoque Dei sapientiae consentaneam fore. Sane requiritur reuelatio certa, atque idoneis fundamentis nixa; ita vt vir sapiens et veri studiosus, qui ad eam, vt par est, adtenderit, non possit non de illius veritate persuaderi. At vero, vt talia sint argumenta illa, quae ab inuitis etiam ac reluctantibus assensum extorqueant, id non modo non requiritur, sed et contrarium requiri adparet. Ac sane, vt fideles ab infidelibus, dociles a pertinacibus, probi ab improbis, dignoscantur, (qui est scopus religionis) omnino necesse est, vt argumenta reuelationem demonstrantia, certa quidem sint, et indubitatae apud viros attentos ac dociles veritatis, sed non talis tamen euidentiae, quae ad assensum cogat, qualis est euidentia principiorum mathematicorum: etenim si talis esset religionis euidentia, tunc impossibile esset, non credere, adeoque in credendo nulla virtus esset* etc. Confer. *Wahre Gründe, warum Gott die Offenbarung nicht mit augenscheinlichen Beweisen versehen hat, untersucht von* IOH. GOTTLIEB TÖLLNERN. Lipsiae et Züllichouiae 1764. 8.

Cui libro poſtea acceſſit pars ſecunda, cuius titulus eſt: *Beweis, daſs Gott die Menſchen bereits durch die Offenbarung der Natur zur Seeligkeit führet.* ibid. 1766. 8. Dubia, quae contra reuelationem diuinam nonnulli mouent, triplicis ſunt generis, vel enim eam poſſibilem eſſe, vel re vera contigiſſe, negant, vel denique in modo, quo reuelatio facta eſſe creditur, multa deſiderant, ad quae ab illis, qui contra Naturaliſtas diſputarunt, ſaepius eſt reſponſum. Contra vulgatiorem ſententiam de interno ſpiritus ſancti teſtimonio, quo animus de Scripturae ſacrae diuina autoritate reddatur certus, quaedam monet IOH. DAV. MICHAELIS in *Compendio Theologiae dogmaticae* p. 15. 16.

§. LXXIII.

Ratione finis bene vtimur Scriptura ſacra, ſi omnem damus operam, vt eam recte intelligamus, vt rationes et nexum tam rerum credendarum, quam agendarum, quantum fieri poteſt, perſpiciamus et vt praecipue datis ab illa vitae praeceptis geramus morem et ſic in dies maiores in religionis ſtudio faciamus progreſſus. Semper vero cum reuelatione coniungenda eſt ſana ratio, quae et in explicatione et applicatione Scripturae ſacrae noſtrum acuat iudicium, vt omnem vitemus ſuperſtitionem et vtiliſſima, maxime neceſſaria ac ad omnes ſpectantia ſedulo ab iis diſtinguamus, quae tantum certo tempori, loco et hominum generi fuerunt adſtricta. In dubiis, quae interdum occurrunt, remouendis, ignorantiam potius noſtram confiteamur, quam fictis et temerariis reſponſis ſimus contenti.

§. LXXIV.

Abutuntur Scriptura ſacra: 1) qui eam lumini rationis opponunt et, illa vel non intellecta vel obſcurata,

ta,

ta, caecam ſuis interpretationibus poſtulant fidem atque alios in multis ſenſum eiurare communem iubent; 2) qui in cortice eius haerent et nucleum negligunt, dum magis de verbis, quam de rebus, de quaeſtionibus argutis, quam de doctrinis praeſtantioribus et de hiſtorica rerum fidei cognitione, quam emendatione vitae, per eam procuranda, ſunt ſolliciti; 3) qui ingenio ſuo nimis indulgentes multa in illa quaerunt et inueniunt myſteria atque de rebus futuris vaticinia, de quibus interpres paullum modo doctus ne in ſomnio quidem cogitaſſet; 4) qui eius autoritatem cauſati auſteram et triſtem vitae rationem, monachis probatam, tanquam omnibus Dei cultoribus neceſſariam et vnicam ad coeli gaudia viam aliis commendant; 5) qui eam non ſolum controuerſiarum de religione, in quo quidem non falluntur, ſed etiam diſputationum de philoſophicis, inprimis etiam phyſicis et aſtronomicis ac aliis rebus, in quibus ſcientia verſatur humana, ſupremum volunt eſſe iudicem; 6) qui ex illa materiam et cauſas ſumunt rixarum, contentionum et acerbi, quo in alios, opinionibus quibusdam a ſe diſſidentes, concitantur odii, ex quo variae innocentium vexationes, crudelia facta, imo cruenta interdum orta ſunt bella (§. XXVI.). Non male a quodam Scriptura ſacra comparatur baculo, quo in itinere ad vitam aeternam vti poſſimus, quem vero theologi nonnulli adhibeant ad ſe inuicem percutiendos, vulnerandos et interficiendos.

Confer. PETRI ZORNII *Delineatio Theologiae patriſticae, ſecundum ordinem locorum theologicorum adornata*, IOH. DIETERICI WINCKLERI *Tempe anecdotis ſacris*, Halae 1758. 8. editis inſerta, in cuius ſectione quinta p. 290. 291. agitur de veterum Chriſtianorum ſacri codicis cultu vero et ſuperſtitioſo.

CAPVT

CAPVT IV.

DE RELIGIONE ANTIQVISSIMA ET INDE ORTA IVDAICA.

§. LXXV.

Religio iudaica, quae ex antiquiſſima orta eſt, arcto cum chriſtiana coniungitur nexu; fuit enim quaſi praeparatio ad illam et ei firmandae ac melius intelligendae valde inſeruit. Antequam igitur ad religionem chriſtianam conſiderandam nos accingamus, praemittenda quaedam ſunt de diuerſis diuinae reuelationis diſpoſitionibus ſiue diſpenſationibus, quibus a primo tempore vera inter homines conſeruata eſt religio et quae *oeconomiae* vulgo dici ſolent, quarum *prima ſub promiſſione*, tempore Patriarcharum, *ſecunda ſub lege*, poſt foedus Sinaiticum et *tertia ſub euangelio*, poſt aduentum Chriſti, fuit. Non vero opus eſt, vt omnem gentis iudaicae veterem hiſtoriam perluſtremus; ad propoſitum noſtrum ſufficit, ea tantum ex illa delibare, quae ad religionis reuelatae pertinent hiſtoriam.

De diuerſo vocis οἰκονομίας in N. T. et in patrum ſcriptis vſu videatur SVICERVS in *theſauro eccleſiaſtico*.

§. LXXVI.

Benigniſſimum Numen pro ſumma ſua ſapientia hominibus voluntatis ſuae cognitionem ope reuelationis diuerſo indulſit tempore, captui eorum et vitae ſtatui accommodatam, et cum ſenſim ſuum magis excoluiſſent ingenium et eos ipſa excitaſſet reuelatio ad maiores in religionis ſtudio progreſſus faciendos, non eſt mirum, temporum

porum conditionem secum tulisse et exegisse maiorem veritatis lucem. Probe tamen tenendum est, cuiuis hominum aetati reuelatione diuina ita esse consultum, vt, qui ea recte vteretur, satis haberet adiumenti ad bene et beate viuendum et maiorem adhuc post mortem felicitatem sperandam.

§. LXXVII.

ADAMVM nouimus ex commercio cum Deo multa didicisse sibi salutaria. Erat praeterea iis ornatus animi dotibus, vt ex mundi contemplatione in religionis scientia magis magisque proficere et se ad exemplum eius, cuius gaudebat imagine, in omnibus componere potuisset. Hanc ob causam ex plerorumque opinione sola contentus fuisset religione naturali, si primis Dei monitis gessisset morem et sibi a peccato cauisset. Postquam vero sua culpa in magnam cecidit miseriam, vt ex illa eriperetur, singulari indiguit auxilio diuino, quod etiam ipsi non defuit. Nam inter poenas ipsi denuntiatas animum eius afflictum benignissima promissione Gen. III, 15 erexit summum Numen. Neque est dubitandum, quin seria poenitentia peccati sui impetrauerit veniam et deinde pro viribus in omni virtute et pietate se exercuerit, id quod etiam de vxore eius est dicendum. Sane in familia eius vera viguit religio, quod, nisi exemplo liberis suis praeiuisset, non esset factum.

Prima promissio Adamo facta plerumque *proteuangelium* vocari solet, quoniam ad Messiam respicere existimatur.

§. LXXVIII.

Ante diluuium praecipue Adami e Setho posteri verae addicti fuerunt religioni, inter quos prae aliis laudantur ENOCHVS, qui ob excellentem virtutem viuus in

in locum meliorem eſt abreptus Gen. V, 24. Hebr. XI, 5 et NOACHVS, qui inter valde peruerſos ſui ſeculi mores pietatem coluit et omnem dedit operam, vt alios ad meliorem frugem reduceret Gen. VI, 8. 9. 2 Pet. II, 5; quare etiam dignus eſt iudicatus, qui cum familia ſua omnes per diluuium mortales delentem effugeret perniciem. Contra, qui a CAINO, altero Adami filio, originem ſuam ducebant, magis vitae commoda et, quae effrenata animi ſuadebat cupiditas, quam religionis ſtudium curaſſe leguntur; ideo quoque a piis, qui *filii Dei* dicebantur, nomine *filiorum hominum* fuerunt diſtincti Gen. VI, 2. 4. ad quam appellationem forſitan etiam Gen. IV, 26. reſpicitur. Nondum tamen ante diluuium *idololatria* locum habuiſſe videtur.

§. LXXIX.

Poſt diluuium primum in familia NOACHI, cum quo foedus fecit Deus Gen. IX, 9-17. et deinde maxime in gente a SEMO prognata ſedem ſuam fixit vera religio. Ex gente hac natus pietate ſua eminuit ABRAMVS, poſtea dictus ABRAHAMVS, qui iuſſu Dei patriam ſuam vitandae idololatriae, tunc iam late ſerpentis, cauſa reliquit et in terram Canaan ſiue Palaeſtinam ſe contulit Gen. XII, 1 ſeqq. Ioſ. XXIV, 2. 3. Eius ſingularis fides et obedientia Deo praeſtita aliaeque celebrantur virtutes, quibus diuinum fauorem, multis ſpeciminibus declaratum, ſibi conciliauit. Cum illo Deus pepigit foedus Gen. XV, 18. ipſique et populo *Hebraeorum*, cuius conditor futurus eſſet, eximia promiſit bona Gen. XII, 3. c. XIII, 14. ſeqq. c. XVII, 6. 8. c. XVIII, 18. ISAACVS filius eius, et nepos IACOBVS, illius imitati probitatem etiam beneficiorum diuinorum in ipſum collatorum facti ſunt participes Gen. XXVI, 3. 4. c. XXVIII, 13. 14.

§. LXXX.

IACOBVS, cui poſtea ISRAELIS nomen datum eſt, pater fuit duodecim filiorum, a quibus duodecim tribus *Iſraelitarum*, qui poſterioribus demum temporibus a parte potiori ſiue a tribu Iudae *Iudaei* ſunt vocati, originem ſuam repetunt. Familia Iacobi primum in terra Canaan commorata, deinde a Ioſepho, Iacobi filio, in Aegyptum eſt inuitata, vbi in terra Goſen habitauit et magna cepit incrementa. Cum vero poſt mortem Ioſephi, qui Aegypto vt ſecundus a rege praeerat et fratrum ac cognatorum ſuorum conſulebat commodis, Iſraelitarum ſors ſenſim fieret deterior, poſtremo illi in grauem redacti ſeruitutem multa perpeſſi ſunt mala parumque abfuit, quin vel delerentur, vel a patria religione plane abſtraherentur, niſi diuinum ipſis praeſto fuiſſet auxilium.

§. LXXXI.

Religio Patriarcharum, ante et poſt diluuium vsque ad Moſis tempora viuentium, valde erat *ſimplex*. Cognitione vnius veri Dei, partim ex rationis vſu partim ex reuelatione hauſta, gaudebant. De prouidentia eius ex multis documentis, in bonis remunerandis et puniendis malis atque in protectione ipſis conceſſa demonſtratis, erant certi. Eum venerabantur precibus Gen. XII, 8. c. XVIII, 23. ſeqq. c. XX, 7. 17. c. XXIV, 12-14. 63. c. XXV, 21. c. XXXII, 9-12. ipſi vota nuncupabant Gen. XXVIII, 20-22, per eius nomen iurabant ad fidem aliis datam confirmandam Gen. XXI, 22-24. c. XXIV, 2. 3. 9. c. XXVI, 28-31. c. XXXI, 53. 54. c. XLVII, 29-31. in eo ſuam ponebant ſpem Gen. XV, 6. eum timebant Gen. XX, 11, amabant, beneficia eius grato recolebant animo Gen. XXXII, 10 et illi obedientia ſua placere ſtudebant Gen. XII, 1 ſeqq. c. XXII, 1. ſeqq. ideo etiam ſibi cauebant a peccatis occultis Gen. XXXIX, 9.

In

In religione sua valde confirmabantur promissionibus diuinis, partim sibi, partim maioribus suis, factis, et visis, vel per somnium, vel inter vigilias, nonnullis eorum interdum diuinitus oblatis. In alios erant humani et ad quoduis genus officiorum ipsis debitorum parati, boni erant mariti, in seruos suos benigni, inprimis in liberorum suorum educatione magnam collocabant operam Gen. XVIII, 19. quamuis illi non semper suis responderent votis. Plus vero apud illos mores et exempla quam leges valebant; nonnullas tamen Noachi tempore latas esse, ex Gen. IX, 4-6. patet, vnde Iudaei *septem praecepta Noachidarum* exsculpserunt. Non autem vel praestantiores inter patriarchas suis caruerunt naeuis, neque omnia eorum instituta laudari merentur. Quid de *statu meliori post mortem futuro* senserint, non expressis quidem verbis memoratur; quaedam tamen de eo ex raptu Henochi Gen. V, 24. et ex declaratione Dei, qua se eorum magnam mercedem et Deum futurum esse confirmauit Gen. XV, 1. c. XVII, 7. c. XXVIII, 13. Exodi III, 6. Matth. XXII, 32. Hebr. XI, 16. illis innotuisse videntur.

Viuendi rationem Patriarcharum bene descripsit CLAVD. FLEVRY in libro gallice scripto *de moribus Israelitarum*, qui in germanicum sermonem versus Hannouerae 1709. 8. prodiit. De *septem praeceptis Noachidarum* ex sententia Iudaeorum consulatur, IOH. SELDENI *ius naturale et gentium iuxta disciplinam Ebraeorum* Lib. I. c. 10. Addatur GERH. HERM. MENCKE *Differt. de autoritate praeceptorum Noachiticorum.* Lipsiae 1711.

§. LXXXII.

Cultus Dei externus tempore Patriarcharum praecipue absoluebatur precibus, quibus interdum iuncta fue-

fuerunt ſacrificia. Forſitan etiam cantica ſacra et quaedam patris familias adhortatio ſunt adhibita. *Sacrificia Patriarcharum* duplicis tantum erant generis, nempe vel holocauſta vel euchariſtica, neque certis locis neque a certis perſonis ſunt facta. Vtrum vero iam ante diluuium, an demum poſt illud, in vſu fuerint et an pii hi homines non tam ex inſtitutione diuina, de qua nihil legimus, quam ex proprio mentis inſtinctu, vt hoc modo gratum ſuum in Deum teſtarentur animum, ſacrificia ſummo obtulerint Numini, non ſatis liquet. Tempore Abrahami ad ritus religionis externos acceſſit *circumciſio*, a Deo eum in finem iuſſa, vt ſigno hoc foederis, cum Abrahamo initi, Hebraei a reliquis gentibus diſtinguerentur. Eam etiam apud Aegyptios et quosdam alios populos olim locum habuiſſe, HERODOTVS Lib. II. c. 36 et 104 ed. Weſſelingii p. 120 et 150 et quidam alii veteres ſcriptores memorant; quod vero iam ante Abrahamum ea ſint vſi, vt nonnulli volunt, euinci nequit. *Sabbathum* et alios quosdam *dies feſtos* a Patriarchis celebratos fuiſſe, ex hiſtoria ſacra non apparet, forſitan tamen *anni finem*, vt Deo ſacrum, coluerunt Gen. IV, 3. *Decimarum* Gen. XIV, 20. c. XXVIII, 22. *luſtrationis* Gen. XXXV, 2. et *animalium mundorum* et *immundorum* Gen. VII, 2 fit mentio, vnde coniicere licet, quaedam Patriarcharum inſtituta per legem Moſaicam tantum fuiſſe confirmata. Quod eo tempore praeter familias Patriarcharum, pietate ſua maxime illuſtrium, verae religionis ſtudium etiam alios quosdam habuerit cultores, exempla MELCHISEDECI Gen. XIV, 18-20. ABIMELECHI Gen. XX, 3. ſeqq. IETHRONIS Exodi III, 1. et IOBI, ſi modo ad hanc aetatem eſt referendus, extra dubium ponunt.

De *religione Patriarcharum* conſulantur IOH. HENR. HEIDEGGERI *Hiſtoriae ſacrae Patriarcha-*

archarum Exercitatio III. et IOH. FR. BVDDEI Hiſtoriae eccleſiaſticae V. T. Tom. I. p. 1 480. qui etiam omnia, quae de illis in Geneſi relata leguntur, illuſtrarunt. In varias *circumciſionis* cauſas inquiſiuit IOH. SPENCERVS *de legibus Hebraeorum* L. I. c. 4. ſect. 2. et ſect. 4. multis de origine et antiquitate illius diſſerit, quibus addantur, quae PAVL. ERN. IABLONSKI in *Prolegomenis ad Pantheon Aegyptiorum* §. 7. pag. 12-15. et Autores *Hiſtoriae vniuerſalis* in verſionis germanicae T. II. §. 316 atque ibi ſubiectis notis de hoc argumento habent. De ritibus quibusdam religionis, qui tempore Patriarcharum lege Moſaica praeſcriptis erant ſimiles agit CONR. IKENIVS in duabus Diſſertationibus *de inſtitutis et cerimoniis legis Moſaicae ante Moſen*, quae deinde Volumini II. *Diſſertationum* eius *philologico-theologicarum* Trai. Bat. 1770. edito, ſunt inſertae.

§. LXXXIII.

Vt populum Iſraeliticum ex dira ſeruitute, qua in Aegypto opprimebatur, liberaret Deus, MOSE tanquam inſtrumento eſt vſus. Erat is filius Amrami, e tribu Leui, eumque ob edictum Regis Aegypti, quo omnes pueruli Iſraelitarum ſtatim poſt natiuitatem occidendi erant, mater primum per tres menſes occultauerat domi, deinde in fiſcella, bitumine et pice oblita, in alga Nili expoſuerat. Ibi cum Regis Aegypti Pharaonis filia, quam Ioſephus Thermuthin vocat, eum inueniſſet, pulchra ſpecie et miſericordia eius mota, vt illum ſeruaret, matri eius dedit lactandum et poſtea filii loco habuit. Educatus ergo in Regis aula et in omni Aegyptiorum ſapientia inſtitutus ſummos conſequi inter eos potuiſſet honores; ſed quoniam vni ex popularibus ſuis, ab Aegyptio

quo-

quodam male mulcato, ſuccurrerat et Aegyptium illum interfecerat, caede hac diuulgata, fuga ſibi conſuluit et in Midianitidem ad Reguelem, cognomine Iethronem, iſtius regionis ſacerdotem, ſe contulit et non multo poſt eius filiam Zipporam duxit in matrimonium. Hic in paſcendo ouium grege ad montem Horeb vidit dumum ardentem nec a flamma abſumtum, e quo vocem Dei audiuit ſibi imperantis, vt in Aegyptum iret, populum Iſraeliticum in libertatem vindicaret et in terram eius maioribus promiſſam duceret. Huic mandato Dei poſt aliquot tergiuerſationes obſecutus, magnis prodigiis coram Rege Aegypti Pharaone peractis et Aegyptiis decem malorum generibus affectis, tandem populum Iſraeliticum ex Aegypto per mare rubrum ſiue, vt quidam exiſtimant, per lacum Sirbonidis eduxit in Arabiae deſertum, vbi ad montem Sinai cum hoc populo Deus foedus conſtituit illique per Moſen varias dedit leges. Praefuit huic populo, per quadraginta annos in deſerto commoranti, Moſes vsque ad mortem eiusque commodis omni proſpexit modo. Maximus veteris aeui fuit Propheta, legislator et rector Hebraeorum celeberrimus, cuius autoritatem Deus ingentibus ſtabiliuit miraculis et quem virum ſummum fuiſſe quidam ſcriptores gentiles non diffitentur.

Legationem Moſis diuinam ſingulari modo demonſtratum iuit WARBVRTONVS in libro de hoc argumento. De *fama Moſis apud exteros* vid. PETRVS DAN. HVETIVS in *Demonſtr. euangel.* P. I. prop. IV. cap. 2. pag. 72. ſeqq. et BVDDEVS in *Hiſt. eccl. V. T.* T. I. p. 789-795. Conf. etiam ANT. PAVLI LVD. CARSTENS *Diſſert. de monumentorum Iudaicorum ex ſcriptoribus exteris antiquis, cum graecis, tum latinis, collectione.* Hanouerae 1747. 4.

 §. LXXXIV.

§. LXXXIV.

In religione, per Mosen iussu Dei inter Hebraeos constituta, religio Patriarcharum fundamenti loco est posita. Quae enim in Genesi commemorantur, eo praecipue spectant, vt Hebraei exempla pietatis et variarum virtutum, in maioribus suis conspicua, imitarentur et promissionibus diuinis ipsis concessis ad fiduciam omnem in Deo ponendam excitarentur. Ea quoque, quae in legibus Mosaicis de Deo et rebus diuinis traduntur, in summa conspirant cum illis, quae Patriarchis his de rebus iam fuerunt cognita (§. LXXXI.). Docet nempe Moses, vnicum tantum esse Deum Deut. VI, 4. rerum omnium creatorem Exodi XX, 11. eum esse inuisibilem Exodi XXXIII, 20. maxima bonitate et iustitia praeditum Exodi XXXIV, 6. 7. eius curae omnia subesse Deut. IV, 39. eum esse amandum Deut. V, 5. timendum ib. v. 13. non nisi vitae sanctitate hominem ipsi placere posse Leuit. XIX, 2. alios vt nosmet ipsos esse diligendos Lev. XIX, 18 nihilque committendum, quod officiis ipsis praestandis sit contrarium Exodi XX, 12-17. Leuitici XIX, 13-17. Praeter has alias *leges morales* particulares legibus suis interspersit. Animae immortalitatem, quanquam nullam claram eius facit mentionem, ab Hebraeis eius tempore non fuisse ignoratam, valde est probabile.

Multi *Decalogum* volunt esse *compendium totius doctrinae moralis*, quod alii, vt CLERICVS ad Exodi XX, 1. et HEVMANNVS ad Matth. V, 21. negant. Conf. CAR. LVD. FR. TRENDELENBVRG Dissert. praeside GOTTH. TRAVG. ZACHARIAE habita de quaestione: *num decalogus sit omnium legum moralium corpus.* Göttingae 1769. Quae de religione iudaica in genere sint obser-

obſeruanda, in *Encyclopaediae* noſtrae *theologicae* §. CCCXLIII et CCCXLIV dicta ſunt.

§. LXXXV.

Magna vero *religionis externae* per Moſen facta eſt *mutatio*; multa enim noua ad eam acceſſerunt et ſi quaedam ex more antiquo ſunt retenta, iam legis vim habere coeperunt, cum prius eſſent liberiora. *Cauſae huius mutationis* fuiſſe videntur: 1) quod, quae antea ſingularum familiarum fuerat religio, iam totius populi erat futura; ideo certa eius requirebatur forma, ad quam omnes legibus et, ſi opus eſſet, etiam poenis adſtringerentur, 2) quod rude populi ingenium nonniſi per varios ritus, tanquam ſymbola, quae ipſi in religione credenda eſſent, doceri et ad officium ſuum Deo debitum incitari poterat, 3) quod Hebraeis, qui in Aegypto ad idololatriam facti erant valde procliues, ne ad illam prolaberentur, concedendus erat cultus Dei externus, in multis aliarum gentium ſacris caerimoniis ſimilis, 4) quod hoc modo ad meliorem religionem, cuius iſta tantum eſſet imago, praeparabantur; haud pauci enim ex illis ritibus regnum Meſſiae aliquando aduenturum quaſi adumbrabant et bonorum ab ipſo exſpectandorum erant typi. *Leges* per Moſen latae, quae cultus Dei externi praeſcribebant rationem, dicuntur *caerimoniales*, quibus, quae de locis, perſonis, rebus et temporibus ſacris notanda eſſent, praecipiebatur. Iam in egreſſu Iſraelitarum ex Aegypto *Paſcha* in memoriam primogenitorum, a caede angeli vltoris liberatorum, et auxilii diuini ipſis tunc temporis praeſtiti eſt inſtitutum.

MAIMONIDES in *More Neuochim* c. XXXII. ſeqq. IOH. MARSHAMVS in *Canone chronico, aegyptiaco, ebraico, graeco* et IOH. SPENCERVS in libris III *de legibus Hebraeorum ritualibus et*

earum rationibus multum in eo posuerunt operae, vt ostenderent, quaenam harum legum caerimonialium sint causae. De tota re sententiam meam exposui in praefatione ad *Ioh. Simonis Praelectiones in Antiquitates iudaicas* germanice editas Halae 1769. 8.

§. LXXXVI.

Inter leges Mosaicas quaedam proprie erant *forenses*, quae iura ciuium definiebant et quibus securitati et saluti publicae consulebatur; quamuis certo modo etiam leges, quae de religione externa agebant, ciuiles essent: quia in republica Hebraeorum religio toti constitutioni ciuili ita erat commixta, vt ab illa separari non posset. Regiminis autem forma, quae apud eos post Mosis legislationem per longum tempus habuit locum, a IOSEPHO libro II. *contra Apionem*, edit. Hauercampi T. II. p. 482. non sine caussa *Theocratia* dicitur; quia Deus vt Rex huius populi considerabatur, qui inter eum quasi habitabat, primo in tabernaculo, deinde in templo, cuius amici interioris admissionis summus Pontifex et reliqui sacerdotes erant, cui dona quaedam offerebantur, qui singulari prouidentia Hebraeos protegebat, cuius voluntas in rebus dubiis per oraculum publicum exquirebatur et qui per prophetas saepe extraordinaria dabat mandata. Theocratiam non solum sub iudicibus, sed etiam sub regibus, vsque ad captiuitatem babylonicam substitisse, WARBVRTONVS et alii quidam recte tuentur.

Leges Hebraeorum forenses prae aliis bene explicuit et ex antiquitatibus illustrauit IOH. DAV. MICHAELIS in dem *Mosaischen Recht*. Francof. ad Moenum 1770-1775. Partibus VI. in 8. Quae Iudaei de nube super arca foederis, praesentiae diuinae signo, fabulantur, docte refutauit

CHRIST.

CHRIST. GVIL. THALEMANNVS in *Tractatu de nube super arca foederis, commento iudaico,* iterum edito Lipsiae 1771. 8. Oraculum publicum Hebraeorum, *Urim* et *Thummim* dictum, non nisi *sortes sacras* fuisse, ostendere studui in dissertatione germanica *von dem Gebrauch des Looses in der heil. Schrift*, quae exstat in Vol. I. Parte 2. der *Hallischen Samlungen zur Beförderung theologischer Gelehrsamkeit, herausgegeben von* D. IOH. SAL. SEMLER p. 79-114.

§. LXXXVII.

Qnamuis Hebraei vocem Dei e monte Sinai audiuissent, saepe tamen in deserto contra Mosen rebellauerunt, bis etiam per idololatriam grauissime peccauerunt Exodi XXXII. Numer. XXV. denique iam ab initio in quibusdam praeceptis Mosaicis tenendis erant negligentiores; sic in deserto circumcisionem plane Iosuae V, 6. 7. et sacrificia maximam partem Amosi V, 25. 26. omiserunt. Postquam terra Canaan duce IOSVA potiti erant, primo quidem tempore religionis curam sibi habebant commendatam; non tamen diu in bono hoc proposito permanserunt. Nam sub plerisque iudicibus non solum pessimis erant moribus, sed etiam quauis occasione data religionis auitae obliuiscebantur et gentium vicinarum Deos loco vnius veri Dei colebant. SAMVEL, iudicum vltimus, omnem dedit operam, vt verae religionis studium inter eos restitueret 1 Sam. VII, 3 seqq. eum in finem etiam *scholas prophetarum*, in quibus religionis doctores formarentur, Gibeae et Ramae condidisse videtur 1 Sam. X, 5. 10. c. XIX, 19, 20. cuiusmodi tempore Eliae et Elisae quoque Bethele 2 Reg. II, 3. Hierichunte ibid. v. 5. 7. 15. Gilgale 2 Reg. IV, 38. et prope Iordanem 2 Reg. VI, 1. 2. fuerunt.

 §. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Sub tribus prioribus regibus, qui toti imperauerunt populo Hebraeorum, magna religionis habebatur ratio. SAVL, primo regni sui tempore, singulari Dei fruebatur fauore et rebus feliciter gestis erat clarissimus 1 Sam. XI; sed postea quaedam commisit, ob quae dignitate sibi concessa indignus iudicaretur 1 Sam. XIII. XV; etiam ira concitatus Achimelechum Pontificem et totam eius familiam ob suspicionem conspirationis, cum Dauide contra se factae, occidi et vrbem sacerdotum Nobam deleri curauit 1 Sam. XXII, 6 seqq. nihilominus in religione publica, cuius etiam post reprobationem haud parua ducebatur reuerentia, nihil immutauit. DAVID, eius successor, religionis studio nihil habuit prius, nihil antiquius, et, quanquam in grauia quaedam incidit peccata, statim tamen resipuit et ita se gessit, vt eius haud fucata pietas in dubium vocari non posset. In cultu Dei publico bene ordinando multum elaborauit et ideo inter alia tam sacerdotum, quos in XXIV distribuit classes, quam Leuitarum descripsit munia 1 Chronic. XXIV-XXVI. Eius filius et regni haeres, SALOMO, de religione etiam optime est meritus. Hic, cum antea cultus Dei publicus in tabernaculo perageretur, templum in honorem Dei Hierosolymae magnis exstruxit sumtibus, quod etiam post septennium absolutum ipse dedicauit. Ne autem Israelitae ritibus, lege Mosaica praeceptis, iusto plus tribuerent et sola religione externa essent contenti, et Dauid et Salomo *partem religionis moralem*, valde antea neglectam, diligenter excoluerunt et scriptis suis, quanta eius esset necessitas et vtilitas, dilucide exposuerunt. Salomo vero gloriam, sibi antea partam, non parum obscurauit, cum vxorum peregrinarum amore ad idololatriam se passus est pertrahi; videtur tamen in senectute culpam admissam emendasse et ad saniora in hac parte rediisse consilia.

§. LXXXIX.

§. LXXXIX.

Post Salomonis mortem filius eius REHABEAMVS inconsiderato responso, quod populo Israelitico, tributorum diminutionem petenti, dederat, animos decem tribuum a se auertit, quae eius loco IEROBEAMVM sibi elegerunt regem. Quo factum est, vt non solum regnum Hebraeorum inter duos reges, alterum Iudae, qui Hierosolymae, alterum Israelis, qui Sichemi, postea Thirzae, denique Samariae imperii sui sedem habebat, fuerit diuisum; sed vt etiam dissidium religionis causa, nunquam postea compositum, in hoc populo sit ortum. Nam cum Ierobeamus, qui regno Israelitico praeerat, ob rationes politicas concedere nollet, vt sibi subiecti Hierosolymam ad sacra facienda et ad dies festos solenniores celebrandos peterent, duobus locis, Bethele nempe et Dane, sacella ad templi Hierosolymitani exemplum erexit. Destructo postea per Salmanassarem, Assyriae regem, regno Israelitico, regionem hanc incoluerunt *Samaritani*, qui quidem religioni iudaicae maximam partem addicti, sed Iudaeis semper summopere inuisi erant. Habuerunt et illi deinde suum *templum in monte Garizim*, quod Sanaballetus aedificandum curauerat et quod Iohannes Hyrcanus est demolitus. Regni Iudaici finem fecit Nebucadnezar, Rex Babyloniae, qui et vrbem Hierosolymam et templum deuastauit et Iudaeos in captiuitatem Babylonicam duxit.

Multa de *Samaritanis* notatu digna leguntur in HADR. RELANDI *Dissertatione de Samaritanis*, quae in parte II. *Dissertationum* eius *miscellanearum* p. 29. seqq. exstat et in CHRISTOPH. CELLARII *Collectaneis Historiae Samaritanae*, Cizae 1688. 4. qui etiam ibid. eod. edidit *Epistolas Samaritanas Sichemitarum ad Iobum Ludolfum*,

dolfum, et poſtea *exercitationem de gentis Samaritanae hiſtoria et caerimoniis*, Halae 1694. et iterum 1707. De *cauſis odii Iudaeos inter atque Samaritanos* in Diſſertatione quadam agit DAVID MILLIVS, quae eius *Diſſertationibus ſelectis* Lugd. Bat. 1743. iterum euulgatis p. 425. ſeqq. eſt inſerta. *Quare Samaritani nonniſi Pentateuchum recipiant*, oſtendere ſtudui in diſſert. germanica: *Unterſuchung der Frage, woher es komme, daſs die Samaritaner nur die fünf Bücher Moſis als göttlich verehren*, quae in Parte II. der *vermiſchten Abhandlungen und Urtheile über das Neueſte aus der Gelehrſamkeit* p. 422. ſeqq. inuenitur.

§. XC.

Status religionis ſub plerisque *regibus* tam Iudaeorum, quam Iſraelitarum, non valde erat laetus. Reges quidam, idololatriae dediti, incitarunt populum ad ſacra vicinarum gentium imitanda. Inter viginti reges Iudae octo tantum ob pietatem laudantur, quorum tamen nonnulli in virtutibus ſuis non ad vitae finem fuerunt conſtantes. Optimi eorum erant HISKIAS et IOSIAS, qui etiam in religione reformanda multum poſuerunt ſtudii 2 Reg. XVIII. c. XXIII. Peſſimus illorum videtur fuiſſe MANASSES 2 Reg. XXI, 1-18. quamuis is paulo ante mortem, multis malis preſſus, poenitentiae ſuae haud contemnenda dederit ſigna 2 Chronic. XXXIII, 11-18. E regibus Iſraelis vix vnus aut alter virtutibus loco ſuo dignis erat praeditus; omnes autem ob probatam et continuatam a ſacris Hieroſolymitanis ſeceſſionem vituperantur. Prae ceteris infamia ob crudelia facta et cultum Baalis ſiue Apollinis, inter Iſraelitas introductum, laborat ACHABVS 1 Reg. XVI, 29-33. c. XVII-XXI. *Mo-*

res

res gentis in vtroque regno plerumque parum erant laudabiles, cum maxima pars regum malorum exemplo ad pietatem negligendam et quaeuis flagitia committenda commoueretur. Aliter vero se res habuit sub piis regibus, qui, vt populus in religione institueretur 2 Chron. XVII, 1-9. et vt ad leges Mosaicas seruandas adstringeretur 2 Reg. XXIII, 1-3. 21-24. 2 Chron. XXIX. XXX. c. XXXV, 1-19. omnem adhibuerunt operam. Ex eo, quod liber legis tempore Iosiae in templo inuentus fuerit 2 Reg. XXII, 8-11. 2 Chronic. XXIV, 14-19 nonnulli collegerunt, eo tempore plerisque legem Mosaicam plane fuisse incognitam; alii vero non sine causa suspicantur, librum hunc legis manu Mosis scriptum et praeter eum alia adhuc, quamuis non valde diuulgata, eius fuisse exempla.

§. XCI.

Inprimis ad religionem conseruandam et puriorem reddendam multum contulerunt *prophetae*, quorum per hoc temporis interuallum magnus fuit numerus. Erant autem prophetae publici Hebraeorum doctores, magna autoritate praediti. Eorum quidam multis prodigiis, se nomine Dei agere, confirmarunt, plerique suis futurorum praedictionibus rebus a se dicendis magnum addiderunt pondus, omnes vero in populo docendo et in morum ac religionis corruptione reprimenda erant assidui. In concionibus suis, quas coram coetu quodam congregato habuerunt 2 Reg. IV, 23. c. VI, 32. Ezechiel VIII, 1. c. XIV, 1. c. XXXIII, 31. id agebant, vt veram religionis indolem exponerent, idololatriae vanitatem et absurditatem demonstrarent et grassantia castigarent vitia. Quamuis populum ad legis Mosaicae sedulam adhortarentur obseruationem, tamen, cum viderent, plerosque omnem suam religionem ponere in cultu Dei externo et

prae-

praecipue in ſacrificiis offerendis, ſimul oſtenderunt, his minime abſolui officia Deo debita, mentis puritatem magis requiri, quam manuum et totius corporis, pietatem et virtutem Deo omnibus ſacrificiis et donis, lege praeſcriptis, eſſe gratiora Ieſ. I, 11-18. c. LXVI, 1-3. Michae VI, 6-8. *Vaticinia Prophetarum* vel continent minas ſupplіciorum diuinorum, quae aut populo Iudaico aut gentibus vicinis ob peccata ſua imminebant, vel promiſſiones bonorum, ſinceris Dei cultoribus deſtinatorum. Quaedam ex his vaticiniis nouam eamque meliorem religionis formam, olim futuram, i. e. regnum Meſſiae reſpiciunt Ierem. XXXI, 31-34. Ioel III, 1. ſeqq. de quo etiam varia ad ipſum eo melius dignoſcendum ſunt praedicta. Reges pii Prophetarum monitis et conſiliis morem gerebant, etiam impii quidam eos timebant eorumque parebant dictis; plerique vero illis valde aduerſabantur eosque interdum multis affligebant malis, imo e medio tollebant. A *veris prophetis* diſtinguendi ſunt *falſi*, quorum etiam nonnunquam fit mentio 1 Reg. XIII, 18. c. XXII, 6. 22. 23. Ierem. XXIII, 9. ſeqq. c. XXVIII. Notas quasdam, quibus pſeudoprophetae a veris diſcerni poſſent, indicauit Moſes Deut. XVIII, 20-22.

De *Prophetis Hebraeorum* conſulatur HERM. WITSII *Miſcellaneorum ſacrorum* Lib. I. Prophetas, qui per hoc temporis interuallum vixerunt, recenſet BVDDEVS in *Hiſtoriae eccleſiaſticae V. T.* T. II. p. 585. ſeqq.

§. XCII.

In *captiuitate Babylonica*, quae ſeptuaginta durauit annos, Iudaei templo deſtituti, non potuerunt non intermittere ſacrificia; maxima tamen eorum pars in reliquis legis moſaicae tenax erat. Praeter ſacerdotum, qui inter eos erant, inſtitutionem, etiam prophetarum quorundam

dam, eorum in hoc exilio comitum, monita magno ipsis vsui fuerunt ad gentilium superstitionem et improbitatem vitandam. Vti quaedam a Chaldaeis, inter quos commorabantur, didicisse videntur, sic etiam melior Dei, qua gaudebant, cognitio nonnullis e gentibus occasionem dedit idololatriam repudiandi et rectiores de religione notiones acqirendi. Si non alium, hunc tamen ex hac captiuitate tulerunt fructum Iudaei, vt ab illo tempore omnem Deorum commentitiorum cultum cane peius et angue fugerint et in patriam suam reduces nunquam postea ob sacrorum peregrinorum imitationem fuerint notati.

§. XCIII.

Iudaei, libertate in patriam suam redeundi a CYRO, primo Persarum rege, accepta, ante omnia in id fuerunt intenti, vt vrbem Hierosolymam et templum restaurarent atque rem suam ciuilem et sacram in pristinum redigerent ordinem. Ob varia vero impedimenta lente in hoc opere sunt progessi. *Templum* enim demum post viginti annos, quam eius iacta sunt fundamenta, sexto Darii Hystaspis anno absolutum et *vrbs Hierosolyma*, maxime Nehemia autore, vigesimo Artaxerxis Longimani anno moenibus est cincta. Dux ZERVBABEL, cui NEHEMIAS successit et Pontifex maximvs IOSVA tunc illis praerant; rerum sacrarum singularem quoque curam gessit ESRA, sacerdos doctus et legis peritissimus Esrae VII, 6. qui anno Artaxerxis Longimani septimo cum magna exulum multitudine in Palaestinam venit. A reditu e captiuitate Babylonica vsque ad vltimum vrbis Hierosolimae et templi excidium Iudaei *varios* habuerunt *dominos*. Primo paruerunt Persis; horum autem imperio per Alexandrum Magnum destructo, Macedonibus, siue ipsi Alexandro et deinde eius successoribus et quidem

modo Aegypti, modo Syriae regibus, a quorum nonnullis, inprimis Antiocho Epiphane, Syriae rege, maximis affecti ſunt malis. Poſtea ſub Principibus Maccabaeis per aliquod tempus laetiori gauiſi ſunt fortuna. Denique ſub Romanorum venerunt poteſtatem, qui quidem permiſerunt, vt ſuis legibus viuerent et etiam Herodem regem ac Archelaum filium eius Ethnarcham haberent, deinde vero Iudaeam, in prouinciae formam redactam, per procuratores rexerunt et tandem, magna ſub Floro ſeditione orta, et Iudaeis a Veſpaſiano et Tito bello ſubactis, eorum rem publicam cum vrbe Hieroſolyma et templo funditus deleuerunt.

§. XCIV.

Post prophetas HAGGAEVM, ZACHARIAM et MALACHIAM, qui ſtatim poſt Iudaeorum e captiuitate Babylonica reditum vixerunt, *donum propheticum* inter eos plane ceſſauit. Non tamen defuerunt alii *doctores* et inter eos quoque quidam valde celebres, qui, vt populum in religione inſtituerent, in *Synagogis*, quarum ad id tempus refertur origo, legem Moſis, prophetas et reliquos libros ſacros praelegerunt et explicauerunt. Magnam in religione conſtantiam omni occaſione, etiam in atrociſſima, quam ab Antiocho Epiphane ſunt perpeſſi, perſecutione oſtenderunt. Ad diſſidium inter Iudaeos et Samaritanos acceſſerunt *tres* aliae *inter ipſos Iudaeos ortae ſectae*, nempe *Phariſaeorum*, *Sadducaeorum* et *Eſſenorum*, quorum diuerſas opiniones recenſet IOSEPHVS *Antiquit. Iud.* Lib. XIII. c. V. §. 9. et c. X. §. 5. edit. Hauercampi T. I. p. 649. et 662. et a quibus, quamuis ab alia alio modo corrupta eſt religio. Praeter *templum Hieroſolymitanum*, quod ab Herode Magno maximam partem renouatum et magnifice exſtructum fuit, etiam Samaritani *in monte Garizim* (§. LXXXIX.) et Iudaei

Iudaei Aegyptii in *nomo Heliopolitano*, iuxta Leontopolin, suum habuerunt templum, quod postremum ab Onia IV aedificatum, postea iussu Vespasiani clausum et sub Traiano plane est dirutum. Quamuis Iudaei ingens religionis suae prae se ferrent studium, sensim tamen veram eius obscurauerunt rationem, plerique enim externis legis ritibus contenti, quid sincera pietas et virtus Deo grata requirerent, ignorabant et officia negligebant maxime hominem decentia. Quam *deprauati* extremis reipublicae iudaicae temporibus eorum fuerint *mores*, et quanta inter eos regnauerint vitia et crimina, verbis vix exprimi potest. Scelerum eorum non fuit minimum, quod verum Messiam, a prophetis promissum, Iesum Nazarenum, sub Herode Magno natum et postea doctoris publici munus implentem, non solum reiecerint, sed etiam crucis supplicio, crudelissimo mortis genere, necandum curauerint. Ingentes, in quas deinde inciderunt, calamitates sua sibi contraxerunt culpa et dum libertatis nimis erant cupidi, eam plane amiserunt et per omnes gentes dispersi plerumque tristem egerunt vitam.

De *sectis Iudaeorum* confer. IOH. TRIGLANDII *trium Scriptorum illustrium de tribus Iudaeorum sectis syntagma, in quo* NIC. SERRARII, IOH. DRVSII, IOSEPHI SCALIGERI *Opuscula, quae eo pertinent, cum aliis iunctim exhibentur*, IAC. TRIGLANDIVS *Diatriben de secta Karaeorum adiecit.* Delphis 1703. Tomis II. 4. Plures de illis recensentur scriptores in *Catalogi Bunauiani* Tomo I. p. 740-742. De *templo Oniae Heliopolitano* eruditam scripsit dissertationem IOH. PHIL. CASSELIVS, quae Bremae 1730. edita et in IVLII CAR. SCHLAEGERI *fasciculo nouo dissertationum variorum de antiquitatibus sacris et profanis* est recusa.

CAPVT

CAPVT V.

DE RELIGIONE CHRISTIANA.

§. XCV.

Religionis Chriſtianae Autor fuit IESVS *Nazarenus*, qui erat *Chriſtus* ſiue *Meſſias*, Iudaeis olim promiſſus. Natus is eſt imperante Augusto, non longe ante obitum Herodis Magni, Regis Iudaeorum, anno, vti videtur, 748 vel 749 poſt Romam conditam, Bethlehemi, oppido Iudaeae, modo valde mirabili, e virgine Maria, Ioſepho deſponſata. Iam in eius infantia variis oſtentis, quanta de illo eſſent ſperanda, eſt declaratum. Circa aetatis ſuae annum trigeſimum munus Doctoris, ad quod a praecurſore ſuo, IOHANNE *Baptiſta*, ſolenni modo per baptiſmum fuit inauguratus, in ſe ſuſcepit illudque per tres annos, magno populi applauſu, ad mortem vsque adminiſtrauit. Exſpectabant tunc temporis Iudaei ſecundum prophetarum ſuorum vaticinia *Meſſiam*, ſiue regem quendam ex ſua gente, quem a iugo Romanorum ciues ſuos liberaturum et priſtinam populi gloriam non ſolum reſtituturum ſed etiam auctiurum eſſe, ſibi perſuadebant. Quamuis vero omnia, a prophetis de Meſſia praedicta, in Ieſum Nazarenum conuenirent isque multis miraculis, ſe Dei nomine agere ſit teſtatus, maxima tamen Iudaeorum pars, inprimis eorum principes et ſacerdotes, miſſionem eius diuinam agnoſcere nolebant. Diſplicebant illis humilis eius ſpecies et liberae voces, quibus religionis corruptionem, tunc inter eos graſſantem et malos eorum mores taxabat. Tantum aberat, vt doctrinam eius ſalutarem probarent ipſique, vt prophetarum maxi-

maximo, morem gererent, vt potius infensissimo contra eum inflamarentur odio, quo factum est, vt saepius eum e medio tollendi quaererent occasionem. Quam tandem sunt nacti, cum vnus e duodecim eius discipulis, IVDAS *Iscariotes*, proditione sua, vt ab illis caperetur, effecit. Accusatus deinde coram synedrio blasphemiae, quod se Christum filium Dei esse dixerat, et mortis reus iudicatus est. Quoniam vero Iudaei non amplius ius vitae et necis habebant, suam contra illum accusationem deferebant ad PILATVM, Romanum Iudaeae procuratorem, apud quem, vt ipsum ad Iesum mortis condemnandum eo magis instigarent, eum ad rebellionem incitasse populum, criminabantur. Pilatus, etsi Iesum innocentem sibi videri saepius declarabat, impensa tamen Iudaeorum sollicitatione motus eum vt maleficum flagellari et postea cruci adfigi iussit. Hoc modo Iesus inter summos cruciatus vitam finiit; quam gratus autem fuerit Deo, inde perspici potest, quod triduo post e mortuis resurrexit et, postquam per quadraginta dies diuersis vicibus a discipulis suis visus et cum illis est collocutus, ipsis praesentibus viuus in coelum est sublatus.

Confer. inprimis IOH. IAC. HESS *Geschichte der drey letzten Lebensjahre Iesu, nebst einer Einleitung, welche die Iugend-Geschichte Iesu enthält.* Editio quarta. Tiguri 1774. 2 Voll. in 8.

§. XCVI.

Summa religionis, quam Iesus docuit, haec fere erat: vnicum esse verum Deum Ioh. XVII, 3. patrem omnium hominum, cuius prouida cura ad quaeuis se extendat Matth. V, 45. C. VI, 9. 25-30. C. X. 29-31; eum solum adorandum et praesertim modo spirituali colendum esse Matth. IV, 10. Ioh. IV, 14; bona, quibus indigemus, precibus saepe repetitis ab illo expetenda Matth. VII,

 7-11.

7-11. Lucae XVIII, 1-8; virtute et vitae sanctitate praecipue religionem contineri Matth. V, 16. C. VII. 21; sincerum Dei et aliorum amorem omnium officiorum nostrorum esse fontem Matth. XXII, 37-39; in officiis erga alios inprimis attendendam esse regulam: quod tibi vis fieri, alteri feceris Matth. VII, 12; veniam peccatorum illi tantum esse sperandam, qui serio resipiscat et aliis condonet iniuriam ab illis acceptam Matth. VI, 12. 14. 15. Lucae XVIII, 13. 14. C. XXIV, 47; animam esse immortalem Matth. X, 28. 2 Tim. I, 10; hinc omnia agenda, ut nobis bene sit in vita olim futura Matth. VI, 19-21; nec malorum, veritatis causa nobis forte illatorum, perpessionem esse detrectandam Matth. XVI, 24-26; fore aliquando resurrectionem mortuorum et iudicium vniuersale, in quo tam bene, quam male in hac vita factorum merces vnicuique sit tribuenda Matth. XXII, 29-32. C. XXV, 31-46. Ioh. V, 28. 29. Ab iis, qui in disciplinam suam se tradere vellent, ante omnia vitae emendationem et fidem dictis suis adhibendam requirebat Marci I, 15. Quamuis ipse omnibus legis Mosaicae praeceptis satisfaceret, tempus tamen instare affirmabat, quo, templo destructo, totius cultus Leuitici finis futurus esset Matth. XXIV. Ioh. IV, 21; suae autem religioni addictos duobus tantum ritibus, quibus se a Iudaeis et gentilibus distinguerent, baptismo nempe et S. coena, adstrinxit; reliqua externa, in cultu Dei publico, quem valde probauit Matth. XVIII, 18. 19, obseruanda, ecclesiae libertati reliquit. Doctores religionis, quos instituit, nihil voluit cum imperio agere Matth. XX, 25-27. Lucae XXII, 25. 26; quaenam disciplinae ecclesiasticae deberet esse ratio, Matth. XVIII, 15-17 declarauit.

§. XCVII.

Multa in Iesu vt *doctore religionis* fuerunt praeclara et admiranda. Quamuis humili loco natus esset et non

non more tunc consueto operam dedisset studiis; ea tamen praeditus erat scientia, vt eruditi inter Iudaeos nullo modo cum illo essent comparandi Matth. VII, 28. 29. Ioh. VII, 46. Ex omnibus sermonibus eius ad populum habitis eluect eximia sapientia, cui tribuendum est, quod non nisi cunctis vtilia modo maxime populari tradiderit et, vt eo magis se ad vulgi captum accommodaret, saepe parabolis valde exquisitis, claris et egregiorum praeceptorum plenis sit vsus. Cum hac sapientia coniunctus erat summus veritatis amor, quo impulsus errores noxios, contemto Pharisaeorum et legis peritorum odio, liberius redarguit. Porro cernebantur in eo indefessa industria in rudibus instituendis et in munere sibi demandato peragendo; ab omni ambitione et quaestu alienus animus; seueritas singulari temperata mansuetudine in prauorum reprehensionibus; patientia in aliorum infirmitate perferenda haud vulgaris; feruidum gloriae Dei promouendae studium, quod semper prudentia moderabatur. Denique, quod in laudabili doctore praecipue requiritur, virtutes, quas aliis commendauit, ipse exercuit et, in quo nullus illi fuit similis, perfectum vitae sanctissimae aliis praebuit exemplum Matth. XI, 28. 29. 1 Petri II, 21. 22.

Quot et quantae virtutes in Iesu Christo, vt religionis doctore, fuerint conspicuae, multis ostendit IOH. ALPH. TVRRETINVS in *Dissert. de charactere magistri et primorum praeconum*, quae exstat in *Dilucidationum* eius vol. II. p. 150 seqq.

§. XCVIII.

Fuit autem Iesus *doctor religionis extraordinarius*, summa autoritate praeditus et ad magnum opus peragendum a Deo destinatus. Erat enim *magnus* ille *propheta*, quem venturum esse Moses praedixerat Deut. XVIII, 15. 18. 19. Act. III, 22. 23. qui saepe futura et inter alia

excidium vrbis Hierofolymae Matth. XXIV verbis clariſſimis praenuntiauit et qui miſſionem ſuam diuinam multis iisque ingentibus atque omnibus, vno vel altero excepto, beneficis miraculis comprobauit Ioh. V, 36. Ex iisdem miraculis Matth. XI, 2-6. cum variis prophetarum vaticiniis coniunctis apparuit, eum eſſe *Meſſiam*, a prophetis promiſſum; non quidem talem, qualem Iudaei exſpectabant, ſed regem ſpiritualem et ſeruatorem generis humani Matth. I, 21. C. XX, 28. Ioh. III, 16. Act. IV, 12. Nam ſecundum vaticinia Vet. Teſtamenti Meſſias oriturus erat e poſteritate Abrahami Gen. XVIII, 18. C. XXVI, 4. e tribu Iudae Gen. XLIX. 10. e progenie Dauidis 2. Sam. VII, 12. 13. Ieſ. XI, 1. 2. naſciturus e virgine Ieſ. VII, 14. Bethlehemi Michae V, 1. venturus tempore per ſeptuaginta hebdomades definito Dan. XI, 24-27. adhuc ſtante templo ſecundo Haggaei II, 7. 8. per paſſiones ad gloriam tranſiturus Pſ. XXII. C. CX. Ies. LIII. et veram religionem inter plures gentes diuulgaturus Ieſ. XLII, 1. c. XLIX, 6. quae omnia et plura alia vaticinia cum in Ieſu Nazareno fuerunt impleta et praeter illum ad nullum alium referri poſſunt, dubitari nequit, quin is ſolus fuerit Meſſias a prophetis promiſſus. Denique erat homine maior, *filius Dei vnigenitus*, qui vt pater honorandus eſt Ioh. I, 14. C. V, 18. 23. Rom. I, 4.

Iudaei, qui Ieſum vt Meſſiam agnoſcere noluerunt, poſtea ſaepe a *Pſeudo-Meſſiis* ſunt deluſi, inter quos BARCOCHAB, vnus e primis et SABETAI ZEVI, vnus ex vltimis, maxime ſunt notandi. De his agit IOH. *a* LENT in *Schediaſmate hiſtorico-philologico de Iudaeorum Pſeudo-Meſſiis*. Herbornae 1683. 4. *Vaticinia* quaedam in ſcriptis Vet. Teſt. *de Meſſia* exſtare Iudaei veteres confitentur et recentiores negare nequeunt, pleraque

que tamen, quae Christiani ad Iesum applicare solent, hi posteriores aliter interpretantur, ac illi. Vid. inprimis IOH. CHRISTOPH. WAGENSEILII *Tela ignea Satanae.* Altdorfii 1681. 4. Nonnulli e christianis interpretibus plura, alii pauciora in Vet. Testamento inueniunt de Christo vaticinia. De eo etiam disputatur, vtrum vaticinia haec litterali, an, nisi omnia, pleraque tamen, tantum mystico sensu, siue per accommodationem ad Iesum Christum referantur.

§. XCIX.

Religionem christianam *veram* et *diuinam* esse, inde perspicitur: quia 1) in omnibus cum sana ratione et natura hominis consentit; saltem in nulla re illi repugnat (§. XXVIII. et XCVI.): nam etiam pauca ea, quae praeter religionem naturalem credere iubemur, tam arcto cum reliquis cohaerent nexu et tam certa nituntur fide, vt nihil impediat, quo minus plenum iis assensum tribuamus, potest ergo esse religio vniuersalis, 2) Quia autor eius multis miraculis suam legationem diuinam confirmauit. Fuerunt autem haec miracula vera, non ficta, non clam, sed coram multis peracta, inter quae eminet Iesu Christi resurrectio e mortuis, quae vti et reliqua per et propter illum facta prodigia ob testimonium Apostolorum, in quo nihil desiderandum, omni fide sunt dignissima; non ergo tantum olim apta erant ad religionem hanc hominibus eo tempore et loco, quibus haec acciderunt, viuentibus commendandam: sed etiam postea eundem retinuerunt vsum et adhuc nunc magnam habent vim ad firmam de doctrina christiana persuasionem veritatis studiosis procurandam. 3) Quia religio christiana antiquae reuelationi, quam Vetus Testamentum complectitur et praecipue vaticiniis prophetarum de regno Messiae ex asse respondet (§. XCVIII.).

Non enim, quae olim a Deo in religione vera, si ad eius patrem principem respicias, constituta fuerunt, a Iesu Christo sunt sublata, sed illustrata, ad perfectionem perducta et vsui omnium hominum conformata. Talis etiam fuit Iesus religionis doctor, qualem eum prophetae olim descripserant. Praestantiam religionis christianae adhuc magis intelliget is, qui considerauerit, quanta praeceptorum eius sit claritas et simplicitas, quanta doctrinae moralis, quam tradit, sit puritas et perfectio, quam ab omni coactione sit remota nullisque molestis caerimoniis onerata et quantopere ad tranquillitatem publicam et vniuscuiusque felicitatem promouendam sit accomodata. Nulla ergo religio excogitari potest, quae cum christiana, recte intellecta, sit comparanda.

Magnus eorum est numerus, qui in religionis christianae veritate demonstranda operam suam posuerunt. Mentionem multorum fecimus ad §. CCCXLVII *Encyclopaediae* nostrae *theologicae*. Dolendum vero est, nonnullos in defendenda religione christiana causae suae nocuisse, dum quosdam graues errores, quos vna vel altera ecclesia christiana fouet, tanquam religionis christianae veras sententias tueri studuerunt et religionem christianam, vti re vera est, a variis eius mutationibus et additamentis, ab hominibus factis, non semper satis distinxerunt.

§. C.

Primi euangelii i. e. doctrinae religionis christianae praecones fuerunt duodecim *Apostoli*, quorum vndecim, omisso nempe Iuda Iscariote, postea proditore, a Christo ipso electi Matth. X, 1-4 perpetui vitae, factorum et fatorum eius, postquam docendi munus in se susceperat, fuerunt testes et qui post Christi in coelum ascensionem decimo die, festo Pentecostes, extraordinariis Spiritus

sancti

ſancti donis fuerunt inſtructi Act. II, 1 ſeqq. vt eſſent doctores religionis per vniuerſam eccleſiam ſingulari ſcientia et ſumma autoritate praediti. In locum Iudae Iscariotae proditoris, qui ſe interemerat, ſucceſſit Matthias, a reliquis vndecim Apoſtolis ſorte electus Act. I, 26. Deinde Apoſtolis quoque adiunctus fuit Paulus, a Chriſto ipſo vocatus Act. IX, 1 ſeqq. Horum Apoſtolorum ope doctrina euangelica primum inter Iudaeos, poſtea inter proſelytos portae, denique inter gentiles magno cum fructu eſt diuulgata multique, illa probata, Chriſto nomen dederunt, qui fideles Act. VI, 32. fratres Act. XV, 1. et primum Antiochiae Chriſtiani Act. XI, 26 ſunt vocati. Ab Apoſtolis adhuc alii conſtituti ſunt religionis doctores, qui partim eccleſiae cuidam praeeſſent, partim ſe in itineribus comitarentur ſeque in munere docendi adiuuarent, qui poſteriores *euangeliſtae* dicebantur Eph. IV, 11. Doctoribus extraordinariis adnumerandi ſunt *prophetae*, quorum etiam interdum fit mentio. In propaganda religione chriſtiana Apoſtoli et reliqui doctores nullis illicitis artibus nullaque vi, ſed non niſi ſimplici oratione, qua aliis veritatem doctrinae a ſe traditae perſuadere ſtudebant, vtebantur; Deus autem variis miraculis, per Apoſtolos factis, ſermoni eorum grauiſſimum dabat teſtimonium. Hoc modo factum eſt, vt paruo tempore ingens hominum multitudo Chriſti nomen profiteretur et ſecundum inſtituta eius viueret.

Ex Actis Apoſtolorum videmus, quaenam eccleſiae chriſtianae fuerint initia et quam bene adiuuante diuina gratia Apoſtolorum labores in pluribus, ad religionem chriſtianam conuertendis, ſucceſſerint. Ad ea, quae in illis narrantur, eo melius intelligenda prae aliis multum conferunt GEORGII BENSONII *Geſchichte der erſten Pflanzung der chriſtlichen Religion, wie ſie in der Ge-*

ſchichte der Apoſtel und in ihren Briefen enthalten iſt etc. Halae 1768. 2 Partibus 4. et IOH. IAC. HESS *Geſchichte und Schriften der Apoſtel Ieſu.* Tiguri 1775 2 Partibus 8. Cuiusmodi fuerint *prophetae* eius temporis, exponit IOH. LAVRENTIVS MOSHEMIVS in *Diſſert. de prophetis eccleſiae apoſtolicae*, quae etiam eſt inſerta Volumini II *Diſſertationum* eius *ad Hiſtoriam eccleſiaſticam pertinentium* p. 125. ſeqq.

§. CI.

Varii Chriſtianorum coetus, in diuerſis locis ab Apoſtolis collecti eorumque regimini parentes, iunctim ſumti, conſtituerunt *eccleſiam apoſtolicam*, quae, ſiue puritatem doctrinae, ſiue vitae ſanctitatem, ſiue conſtantiam in perſecutionibus, ſiue denique cultus diuini publici ſimplicitatem ſpectes, in plerisque cuiuis eccleſiae chriſtianae poteſt eſſe exemplo. Non tamen in omnibus ea gaudebat perfectione, vt nihil plane in illa deſideraretur. Apoſtoli enim, cum primi chriſtiani partim e Iudaeis, partim e gentilibus ortum ſuum ducerent et tam hi, quam illi, multis praeconceptis opinionibus haud laudandis, quas omnes non ſtatim depoſuerant, eſſent imbuti, quantum fieri poterat, eorum indulgebant infirmitati et quaedam vel illis permittebant, vel non curabant, quae ſuccedente tempore eſſent abroganda. Neque ſemper copia erat doctorum, debita ſcientia praeditorum; quia multis deerat diligentior inſtitutio, qua ad munus ſuum recte praepararentur. Iam etiam tum pullulare coeperunt mala quaedam, quae poſtea, cum maiora cepiſſent incrementa, eccleſiam valde affixerunt.

Vid. IOH. FRANC. BVDDEI *Eccleſia apoſtolica.* Ienae 1729. 8. Quam parum primorum Chriſtianorum doctores litteras excoluerint, oſtendit

CHRI-

CHRISTOPH. DAN. CARSTED in *Dissert.* sub praesidio SIGISM. IAC. BAVMGARTEN habita *de* Ἀγραμματία *veterum ciuitatis christianae doctorum.* Halae Magdeb. 1750. De schismatis et sectis ecclesiae Corinthiacae et de haeresibus, natis in ecclesia apostolica, agit CAMPEG. VITRINGA *sacrarum Obseruationum* Lib. III. c. 21 et Lib. IV. c. 9.

§. CII.

Post aeuum Apostolorum, seculo secundo et tertio ac quarti initio vsque ad Constantinum Magnum, ecclesia christiana, licet grauibus pressa persecutionibus, valde est aucta et multa retinuit ex fidei simplicitate et morum castitate, quam primi Christiani sectabantur. Satis mature vera euangelia et reliqua Apostolorum scripta a spuriis distincta et in ecclesiae vsum publice sunt praelecta. *Symbolum apostolicum*, quod praeclarum doctrinae christianae compendium merito habetur, seculo secundo confici coeptum, tertio autem et quarto nouis auctum est accessionibus. Quaenam tunc temporis cultus diuini publici fuerit ratio, ex IVSTINI *Martyris Apologia* I. *ad Antoninum Pium* p. 83. editionis Haganae 1742. in Folio et ex TERTVLLIANI *Apologetici aduersus gentes* c. XXXIX. discimus. Longe aberant Christiani maximam partem a vitiis, quorum gentiles eos accusabant. Ab altera tamen parte non est infitiandum, quaedam sensim apud eos inualuisse, quae a religionis christianae indole sunt aliena. Iam seculo II. Episcopi nimiam sibi arrogabant autoritatem. Seculo III. PAVLVS *Thebaeus* vitam eremiticam et ANTONIVS, ciuis eius, vitam coenobiticam instituerunt, quos plures alii sunt imitati. Vtroque seculo *disciplinae ecclesiasticae* rigor iam modum excedebat; ob leuiorem in doctrina dissensum in-

terdum magna ſunt orta diſſidia et altera pars alteri haereſeos crimen facile impingebat; tam in baptiſmo, quam ſacra coena, quaedam praeter et contra vtriusque ſacramenti inſtitutionem addita ſunt et mutata. Inter eccleſiae doctores ſiue *patres*, vti vulgo dicuntur, qui per hoc temporis interuallum vixerunt, ORIGENES fuit doctiſſimus, qui in critica et exegeſi ſacra excolenda magnum poſuit ſtudium, nimis tamen in explicatione ſcripturae ſacrae allegoriis indulſit et philoſophia platonica ad theologiam perficiendam eſt abuſus; id quod cum plures poſt eum facerent, inde theologia myſtica et multae falſae codicis ſacri interpretationes ſunt ortae. Idem Origenes in religione chriſtiana contra Celſum defendenda aliquid ſingulare praeſtitit. Praeter eum *apologias* hoc tempore ſcripſerunt IVSTINVS MARTYR, ATHENAGORAS, TERTVLLIANVS, MINVTIVS FELIX et ARNOBIVS. *Martyrum* i. e. eorum, qui religionis cauſa mortem ſunt perpeſſi, magna ob heroicam, quam monſtrarunt, virtutem tunc temporis fuit veneratio, quae deinde in cultum religioſum degenerauit; non tamen omnes aeque ſunt laudandi, quia nonnulli ex praepoſtero martyrii amore mortis ſupplicium, quod ſine fidei ſuae abnegatione euitare potuiſſent, ſtudio quaeſiuerunt. *Donum propheticum* et *miraculorum* mortuis apoſtolis alii adhuc per aliquod tempus locum habuiſſe; alii autem meliori iure plane ceſſaſſe arbitrantur.

Quod *ſymbolum apoſtolicum* eam formam, quam nunc habet, non ſtatim, ſed procedente tempore acceperit, bene demonſtrat PETR. KING in *Hiſtoria Symboli apoſtolici*, anglice ſcripta et in linguam latinam verſa ac recuſa Baſileae 1750. 8. De ſymbolis aliis antiquioribus agit CH. GV. FRID. WALCHIVS in *Bibliotheca ſymbolica vetere*. Göttingae 1770. 8. *Calumnias gentilium in Chri-*

Chriſtianos veteres recenſet et refutat CHR. KORTHOLTVS in *Pagano obtrectatore.* Kilonii 1698. 4. Conf. etiam GOTTLOB FR. GVDII *Paganus Chriſtianorum laudator et fautor.* Lipſiae 1741. 4. Quae MIDDLETONVS de *duratione doni miraculorum in prima eccleſia* anglice 1749 ſcripſit, germanice verſa Hanouerae 1751. prodierunt.

§. CIII.

Complectemur iam tempus, quod a CONSTANTINO *M.* vsque ad CAROLVM *M.* ab anno 312. vsque ad finem ſeculi octaui effluxit et ex eo quaedam, quae ad hiſtoriam religionis chriſtianae maxime faciunt, notabimus. Conſtantinus M. qui anno 312. victo Maxentio imperio Romano eſt potitus, Chriſtianis non ſolum omnem libertatem et ſecuritatem publice promiſit, ſed etiam ipſe fidem chriſtianam eſt amplexus, licet demum paulo ante mortem baptizari voluerit. Laetior exinde Chriſtianorum conditio multum ad meliorem religionis chriſtianae culturam contulit et cum litterarum ſtudia inter Chriſtianos magis florere coepiſſent, plures erant religionis doctores, qui eruditionem cum pietate coniungerent. Interrupta quidem fuit haec felicitas a IVLIANO, qui mortuo Conſtantio, Conſtantini M. filio ſucceſſerat et religionem chriſtianam commutauerat cum gentili; quoniam is variis artibus religionem chriſtianam contemtui exponere et gentilem in altius euehere ſtudebat: ſed non diu ob breue imperium Chriſtianis fuit timendus. Sequentes deinde Imperatores religionem chriſtianam, quam ipſi profitebantur, omni modo ſunt tuiti. Variae gentes, quae ſeculo V imperium occidentale deſtruxerunt, cauſae quidem in regionibus a ſe occupatis fuerunt imminutae eruditionis, maximam tamen partem religionem chriſtianam, vti tunc erat, licet magis Arianis,

nis, quam Catholicis fauerent, probauerunt. In oriente Perſarum reges ſibi ſubiectos Chriſtianos ob religionem a ſeculo quarto per longum tempus ſaepe valde vexauerunt. Maiora adhuc rebus Chriſtianorum ſeculo ſeptimo orti *Muhamedani* intulerunt detrimenta, qui breui tempore Graecorum Imperatoribus multas eripuerunt prouincias et in illis nouam ſuam religionem ſtabilire ſunt conati et deinde ſeculo octauo per Africam vsque in Hiſpaniam progreſſi eam ſub ſuam redegerunt poteſtatem.

§. CIV.

Commodis Epiſcoporum et aliorum eccleſiae doctorum Conſtantinus M. partibus Chriſtianorum adiunctus, benigniſſime proſpexit; iuſto autem plus illis indulſiſſe videtur, dum hierarchiam eccleſiaſticam conſtituit: inde factum eſt, vt plerique *clerici*, hoc enim nomine, qui ad ordinem eccleſiaſticum referebantur, a reliquis Chriſtianis, quos *laicos* vocabant, ſe diſtinxerunt, ſuperbia elati ſe totos ad faſtum componerent ſuaeque auaritiae nullum ponerent modum. Hiſtoria eccleſiaſtica ſatis docet, quot turbas ex eo tempore excitauerint clerici et quantopere abuſi ſint religione ad ſe inuicem inſectandos et ad alios, quos ſuis conſiliis obſtare exiſtimarent, opprimendos. Videri volebant fidei vnitatis in omnibus, quamuis nunquam ſperandae, ſtudioſi eſſe et ſic animorum vnitatem ſiue concordiam, longe pluris aeſtimandam, plane negligebant et ſentiendi tollebant libertatem, ſine qua in veritatis cognitione nullus erit progreſſus. Si quis *concilia oecumenica*, in quibus ex toto imperio Romano epiſcopi ad fidei controuerſias dirimendas conueniebant et *ſynodos* ſiue epiſcoporum ex quadam prouincia ad eundem finem congregationes conſiderauerit, facile videbit, quantum in illis valuerit partium

ſtudium,

ſtudium, quod malum, cui minuendo inſeruire deberent, plerumque illis ſit auctum et quam parum diuerſorum conciliorum inter ſe conſenſerint decreta. *Haeretici* non ſemper dicebantur, qui ſummopere noxios ad religionem ſpectantes errores animo obſtinato diſſipare ſtuderent, ſed qui a ſententia Catholicorum in quibusdam diſcederent, licet forſitan errores vulgares corrigere vellent aut eorum opinio aeque eſſet probabilis ac contraria.

Scriptores, qui de *conciliis* agunt et variae conciliorum collectiones recenſentur in *Encyclopaediae* noſtrae *theologicae* §. CCLXXXIV. litt. g. et. h.

§. CV.

Quia Roma erat caput imperii Romani, inter omnes epiſcopos principatum ſibi deberi exiſtimabat *Epiſcopus Romanus*; ſede vero imperii a Conſtantino M. Roma Conſtantinopolin translata, eundem principatum cum ſua dignitate coniunctum eſſe contendebat *Patriarcha Conſtantinopolitanus:* inde magna ſemper aemulatio fuit inter Epiſcopum Romanum et patriarcham Conſtantinopolitanum. Cum ſeculo ſexto IOHANNES, cognomine *Ieiunator*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, in actis ſynodi a ſe congregatae, Romam miſſis, ſe Epiſcopum oecumenicum appellaſſet, epiſcopus Romanus GREGORIVS I. cognomento *Magnus*, valde hanc ob rem excanduit et Iohannis huius ſuperbiam multis accuſauit verbis, ſe autem, vt eo modeſtior videretur, *ſeruum ſeruorum* dixit. Succeſſor vero huius Gregorii, BONIFACIVS III. a Phoca, Imperatore Conſtantinopolitano, cui poſt caedem crudelem Mauritii, Domini ipſius, blanditus erat et qui Cyriaco, Patriarchae Conſtantinopolitano, hanc caedem improbanti, male cupiebat, impetrauit, vt ſedes eccleſiae Romanae caput eſſet omnium eccleſiarum et vt epiſcopus Romanus vocaretur oecumenicus. Ex eo tempore Pontifi-

ces

ces Romani omni cura in id incubuerunt, vt ſibi ſupremam in totam eccleſiam vindicarent poteſtatem. Diſſidium autem inter epiſcopum Romanum et Patriarcham Conſtantinopolitanum, accedentibus poſtea adhuc aliis cauſis, inprimis controuerſia de proceſſione ſpiritus ſancti, quam a ſolo patre Graeci, Latini vero a patre et filio fieri volebant, effecit, vt tandem graeca eccleſia cum latina faceret diuortium, quod, vnione ſaepe fruſtra tentata, deinde perdurauit.

Confer. IOH. HENR. HEIDEGGERI *Hiſtoria Papatus*, recuſa Amſtelodami 1698. 4.

§. CVI.

Plures *ecclaeſiae patres* hoc tempore ſcriptis ſuis inclaruerunt. E graecis celebriores ſunt: EVSEBIVS, BASILIVS *M.* CYRILLVS *Hieroſolymitanus* et *Alexandrinus*, GREGORIVS *Nazianzenus*, IOH. CHRYSOSTOMVS, SOCRATES, SOZOMENVS, THEODORETVS, e latinis: LACTANTIVS, AMBROSIVS, RVFFINVS, SVLPITIVS SEVERVS et quidam alii hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptores, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, GREGORIVS *M.* Non vero omnes tantam merentur laudem, quantam illis nonnulli tribuunt. Fuerunt quidem inter illos viri doctrina et pietate inſignes; maior tamen eorum pars ſtudia theologo maxime neceſſaria neglexit et ad ſuperſtitionem fuit procliuis. Ex antea nominatis ſolus HIERONYMVS linguae hebraeae erat peritus, qui etiam linguam graecam callebat, quam fere omnes patres latini ignorabant. Non eſt ergo mirum, pleroſque in Scripturae ſacrae interpretatione ſaepiſſime a vero ſenſu aberraſſe, et debita verborum explicatione poſthabita, tractauiſſe controuerſias theologicas et allegoriis luſiſſe. Philoſophiam aut plane neſciebant, aut falſas quorundam philoſophorum arripiebant opiniones,

nes, quibus ſua theologica commenta incruſtarent. Quidam, praeſertim Graeci, qui diligenti optimorum ſcriptorum gentilium lectione ingenium ſuum excoluerant, ſcribendi genere ſatis eleganti ſunt vſi et in eloquentia eccleſiaſtica excelluerunt; haud pauci vero, litteris humanioribus contemtis, ſtilo horrido et obſcuro mentis ſuae cogitata expreſſerunt et ineptiarum ſunt pleni. GREGORIVS *M.* qui eruditioni humanae quaſi bellum indixit, bibliothecam Palatinam ſiue Capitolinam et omnia, quae in manus eius inciderunt, Liuii exemplaria Romae concremaſſe dicitur, cuius autoritas ad maiorem verae doctrinae in ordine eccleſiaſtico diminutionem haud parum contulit.

Hiſtorici eccleſiaſtici tam *graeci*, quam *latini*, laudantur in *Encyclopaediae* noſtrae *theologicae* §. CCLXXV. ibi etiam §. CCLXXIX. eorum fit mentio, ex quibus omnium ſcriptorum eccleſiaſticorum notitia ſit petenda. Non magnos ſcripturae ſacrae interpretes patres fuiſſe, multis exemplis comprobat DAN. WHITBY in *Diſſertatione de ſacrarum ſcripturarum interpretatione ſecundum patrum commentarios.* Londini 1714. 8. De *philoſophia patrum* conſulatur IAC. BRVCKERI *Hiſtoria critica philoſophiae* Tomo III. p. 269. ſeqq.

§. CVII.

Theologiam dogmaticam eccleſiae patres a temporibus Conſtantini M. in formam ſcientiae redigere ſtuduerunt; quoniam vero certa ab incertis, vtilia ab inutilibus non ſemper, vti fieri oportebat. ab illis ſunt diſtincta, accidit, vt eam multis ſubtilitatibus et friuolis impleuerint quaeſtionibus, ex quibus nouae in dies

dies rixae ſunt ortae. Quaedam dogmata excogitata eſſe videntur ad clericorum autoritatem augendam eorumque ſuperbiam alendam. Prae aliis nouarum opinionum, quae magnarum turbarum poſtea exſtiterunt ſemina, fertile fuit AVGVSTINI ingenium. Ille certo modo *Theologiae ſcholaſticae* autor dici poteſt, quia pleraque, quae ſequentibus temporibus in medium protulerunt ſcholaſtici, ex illo tanquam fonte ſunt deriuata. GREGORIVS *Magnus* inuentor fuit *purgatorii*, quod ingentes clericis peperit diuitias. *Theologia moralis* ſenſim etiam corrupta eſt a patribus, dum virtutem nimis auſteram et ſupra vires hominis, vti putabant, eleuatam atque vitae ſanctitatem, tantum in rebus quibusdam externis poſitam, maxime commendarunt. Fere omnes vitam coelibem et monaſticam ſummis extulerunt laudibus; inde *monachorum*, qui varia pietatis exercitia, maximam partem parum vtilia, excogitauerunt, numerus ſummopere eſt auctus. Vt *cultus Dei publicus* ſplendore ſuo vulgo eo magis placeret et clericorum reſponderet ſuperbiae, plures caerimoniae partim ex religione iudaica, partim gentili, mutuatae, cum pompa quadam coniunctae et ex parte ſuperſtitionem redolentes ſunt inuectae. PAVLINVS, Epiſcopus Nolanus, ineunte ſeculo V. primum templa *imaginibus*, quae hiſtorias biblicas repraeſentarent, exornauit, quod poſtea alii ſunt imitati; ſeculo autem octauo imagines ſanctorum, quae in templis conſpiciebantur, coeptae ſunt adorari et quamuis ob hunc cultum imaginum initio quaedam ſint lites motae, tamen ille a plerisque deinde eſt probatus. Iam antea *cultus reliquiarum* fautor fuit GREGORIVS *M.*

Quot errores in doctrina morali eccleſiae patres fouerint, ex eorum ſcriptis dilucide demonſtrat IOH. BARBEYRACIVS in libro gallico, qui inſcribitur: *Traité de la morale des peres de l'egliſe.* Amſtelod.

lod. 1728. 4. De rituum, ab ecclesia latina in cultu Dei publico adhibitorum, origine docte disseerit IOH. DALLAEVS in Libris IX. *de cultibus religiosis Latinorum.* Geneuae 1761. 4. Confer. etiam *Encyclopaediae* nostrae *theologicae* §. CCXCI. litt. a et b.

§. CVIII.

Iam paucis videbimus, qualis fuerit religionis christianae status a temporibus *Caroli M.* vsque ad *reformationem.* Carolus M. regno Longobardorum in Italia destructo, anno 800. Romae Imperator Romanus proclamatus et a Pontifice Romano Leone III. coronatus omnem quidem dedit operam, vt res religionis collapsas et litterarum studia contemta rursus in altius eueheret, in quo etiam filius eius, Ludouicus pius, et nepos Carolus Caluus, multum elaborauerunt; ea tamen fuit temporum infelicitas, vt mox omnia in peius ruerent. Magna inprimis barbaries seculo X et XI late in ecclesia latina est dominata; quae ex parte quidem imminuta, sed non plane depulsa est seculo XII. XIII. XIV. et priori dimidio seculi XV. Constantinopoli autem 1453 a Turcis expugnata, Graeci quidam, in Italiam profugi et principum nonnullorum fauore adiuti, restituendae eruditionis in quibusdam regionibus primi fuerunt autores. Tristibus his temporibus *Pontificis Romani* et totius cleri potentia in immensum creuit; quorum cum interesset, animos hominum superstitione impleri et in crassa versari ignorantia: facile diiudicari potest, quantopere doctrina religionis ab illis sit obscurata et deformata. In id tantum intenti erant Pontifices Romani, vt non solum in totum ordinem ecclesiasticum, sed etiam in Imperatorem, omnes reges et principes dominarentur. Potestatem hanc, quam affectabant, ad culmen quasi perduxit GREGORIVS VII. antea dictus HILDEBRANDVS, qui Impera-

peratori Henrico IV. sibi episcoporum inuestituram concedere nolenti et ideo communione ecclesiae priuato, siue, vt vulgo dici solet, excommunicato, non nisi post acerbam poenitentiam commissa condonauit, quamuis ipsi postea dederit poenas, et qui primus ad potentiam suam eo magis firmandam matrimonium interdixit clericis. Quantos gesserit spiritus, decreta eius, quos *dictatus* vocabat, satis indicant. Successores eius eadem dominandi cupiditate impulsi miscuerunt sacra profanis, sibi clauem et fulmina coeli vindicauerunt, suo arbitrio bella inter principes excitarunt et pacem composuerunt; quosdam reges solio mouerunt et alios in eorum posuerunt loco; definiuerunt, quid credendum et non credendum esset; haereticos *inquisitionis tribunali*, quod INNOCENTIVS III. erexit, coercuerunt et peccatoribus veniam delictorum suorum pro parata pecunia vendiderunt, quam *indulgentiarum venundationem* BONIFACIVS VIII. instituit; quicquid iure ciuili consequi non poterant, *iure canonico*, quod autoritate EVGENII III. a monacho GRATIANO confectum et circa annum 1151 publicatum est, consequi studebant. Quousque se extenderit Pontificum Romanorum autoritas, ex *bello sacro*, ad Palaestinam Turcis eripiendam monitu PETRI *Eremitae* et VRBANI II. persuasione in concilio Claromontano decreto, anno 1095 suscepto atque per ducentos annos continuato, quod superstitionis temporis huius aeternum erit monumentum, colligere licet. Nihil dicemus de moribus multorum Pontificum Romanorum pessimis, quibus vitam suam reddiderunt infamem et qui suo contagio plures alios infecerunt; quia huc vsque dicta ad propositum nostrum sufficiunt.

§. CIX.

Magnum hoc tempore *scholasticorum* nomen fuit. Erant autem scholastici doctores in scholis maioribus a Caro-

Carolo M. inſtitutis, qui philoſophiam cum theologia coniungerent. Philoſophia, quam probabant et explicabant, erat peripatetica, non vero ex graecis, quae Ariſtoteles reliquit, ſcriptis, ſed ex verſione latina operum eius, quae tunc habebatur, ſumta. Erant inter eos viri quidam acuti ingenii et veritatis ſtudioſi, qui vulgares nonnullos in theologia errores animaduerterent et impugnarent, inter quos eminuit PETRVS ABAELARDVS, qui tamen, cum liberius ſuam de rebus aliquot theologicis dixiſſet ſententiam, haereſeos notam vix effugit. Maxima vero eorum pars philoſophiam voluit eſſe theologiae ancillam et ad dogmata tunc recepta ſuam accommodauit rationem, ea vero, quae illi repugnare videbantur, myſteriis adnumerauit. Male quoque audiunt ſcholaſtici ob innumeras diſtinctiones, noua et barbara vocabula, inutiles quaeſtiones, quibus in theologia locum dederint, et ſpinoſum, quo vſi ſint, ſcribendi genus, quibus factum eſt, vt diſciplinam hanc in ſterilem et inanibus tricis repletam conuerterint ſcientiam. Forſitan autem, ſi illi non fuiſſent, philoſophia plane e ſcholis relegata, nihil ſani in theologia eſſet relictum. Fundamenta huius theologiae ſcholaſticae iam certo modo iecit AVGVSTINVS (§. CVII.) et deinde IOH. DAMASCENVS, cuius quatuor libros *de orthodoxa fide*, in linguam latinam translatos, tanquam exemplum plures ſequebantur theologi; ſed ratione theologiae ſcholaſticae propius conſiderata, paulo ſerius illam ortam eſſe, concedere oportet eiusque natales, vti nonnullis placet, ſeculo XI. a LANFRANCO et ANSELMO aut ROSCELINO, vel, vt pluribus videtur, ſeculo XII. a PETRO ABAELARDO et eius diſcipulo LOMBARDO ſunt repetendi. Ob variam theologiae ſcholaſticae mutationem *tres* eius plerumque ponuntur *aetates*: *prima* ab Abaelardo vel Lombardo, *ſecunda* ab Alberto M. et *tertia*

a Durando a S. Porciano incipit. Notandae etiam sunt *diuersae scholasticorum partes;* alii enim erant *Scotistae*, qui Iohannis Duns Scoti, alii *Thomistae*, qui Thomae Aquinatis placitis adstipulabantur; praeterea in *Nominales* et *Reales* erant distincti. Multum studii a quibusdam, qui theologiam scholasticam auersabantur, positum est in *Theologia mystica* excolenda, inprimis postquam IOHANNES SCOTVS *Erigena* libros *Pseudo-Dionysii* latine vertit et sic eorum vsum reddidit vulgatiorem. Praedicabatur illa tanquam arcana scientia ad interiorem Dei communionem perueniendi. Ipsa verborum, quibus referta erat, obscuritate et fictis in Scripturae sacrae interpretatione allegoriis rudes capiebantur homines et illis, quae non intelligebant, magna subesse mysteria arbitrabantur. Quamuis vero mystici, qui se practicos nominabant, plerumque scholasticis, quos appellabant theoreticos, valde essent infensi, vti ex Bernhardi et quorundam aliorum exemplis patet; fuerunt tamen postea ex scholasticis nonnulli, vti Hugo de S. Victore, Bonauentura et Thomas Aquinas, qui theologiam scholasticam cum mystica coniungerent. Sed tam haec, quam illa, veram religionis christianae doctrinam, iam antea valde corruptam, adhuc magis deprauauit. *Ecclesia* quoque *graeca* naeuos, quos iam dudum contraxerat, non emendauit, sed auxit; cauebat quidem sibi a quibusdam erroribus et ritibus superstitiosis, quibus Latini dediti erant: nouae tamen semper in ea oriebantur lites, quae magno cum feruore et religionis damno agitarentur, ac ea magis magisque a doctrinae puritate et pristinis institutis recessit. Litterarum studia apud Graecos etiam valde frigebant; maior tamen inter eos doctorum virorum, ex quibus praeter Historiae Byzantinae Scriptores maxime PHOTIVS et EVSTATHIVS notari merentur, adhuc erat copia, quam inter Latinos.

Vid.

Vid. ADAMI TRIBBECHOVII *de doctoribus scholasticis et corrupta per eos diuinarum humanarumque rerum scientia liber singularis, cum praefatione* IO. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI. Ienae 1719. 8. Confer. etiam IAC. BRVCKERI *Historiae critica philosophiae* Tomo III. p. 709. seqq. vbi pluribus de scholasticis agit. *Theologiae mysticae* pernoscendae haud parum inseruit GODOFR. ARNOLDI *Historia et descriptio Theologiae mysticae.* Francof. 1702. 8. Scriptores Historiae ecclesiasticae huius temporis indicantur ad *Encyclopaediae* nostrae *theologicae* §. CCLXXV.

§. CX.

Speciminis loco quorundam tantum mentionem faciemus, quae tunc temporis in ecclesia fuerint stabilita ad religionem christianam peruertendam. Sec. IX *Paschasius Radbertus* in libello *de corpore et sanguine Christi* contendit, in s. coena, post consecrationem, substantiam panis et vini mutari in veram carnem et verum sanguinem Christi. Haec opinio, cuius quaedam vestigia, iam in Ioh. Damasceno inueniuntur, a multis tunc fuit oppugnata, deinde autem a Lombardo et aliis scholasticis probata sub *transsubstantiationis* nomine, quod seculo XII primum est adhibitum, anno 1215 in concilio Lateranensi IV ab INNOCENTIO III tanquam vera confirmata atque inter fidei dogmata relata. Eam secutae sunt *hostiae adoratio* et *communio Laicorum sub vna specie.* In eodem concilio Lateranensi *confessio auricularis* est praescripta, iam antea *extrema vnctio* et *aqua lustralis* fuerunt vsitatae et circa annum 963 IOHANNES XIII *campanarum baptismum* instituit. Praeter baptismum et s. coenam *quinque alia* numerabantur *sacramenta.* Inter sanctos, qui colebantur, *Maria,*

mater Christi, principem obtinuit locum eique vt reginae coeli singularis habitus est honor. Vt eo maiori esset venerationi, post mortem *in coelum translata* fuisse dicebatur eiusque *immaculatam conceptionem* plures tuebantur, licet postea inter Dominicanos et Franciscanos de ea multum sit disceptatum. Sanctorum numerus per *canonizationem*, seculo decimo ad Apotheoseos gentilium imitationem inuectam, summopere est auctus. Eorum acta, quae *legendae* dicebantur, insipidis referta erant fabulis multaque illis miracula, quae etiam adhuc quotidie fieri vulgo tunc creditum est, tribuebantur. Tanta erat fides miraculorum, vt sic dicta *iudicia diuina* siue *ordalia*, in quibus per candens ferrum aut per alium modum extraordinarium accusati alicuius innocentia exploraretur, valde essent frequentia. *Vitam monasticam*, tanquam viam ad coeli gaudia compendiariam, plurimi iactabant; noui ideo variis locis monachorum ordines nouaque semper condebantur monasteria. In hac temporum caligine vera virtus et pietas fere ignorabantur et plerorumque mores erant dissolutissimi. Non tamen existimandum est, pestem hanc fuisse vniuersalem; latebant nempe hic et illic quidam purioris religionis cultores et non deerant veritatis testes, qui publicos errores repudiarent et castigarent. Ad hunc censum praeter alios referendi sunt *Waldenses*, *Wiclefitae* et *fratres Bohemi*. Inuenta circa annum 1440 arte typographica et litteris Graecorum studio in Italia renatis, meliorem religionis cognitionem haud pauci acquirebant eorumque animi ad ecclesiae reformationem mox insecutam erant praeparati.

§. CXI.

Reformatio ecclesiae, siue potius alicuius ecclesiae partis, quae etiam simpliciter reformatio dici solet, diu iam desiderata et saepe frustra tentata, circa principium secu-

ſeculi XVI ortum cepit et inter multa eaque grauiſſima impedimenta continuata atque ad exoptatum exitum eſt perducta. Proxima eius occaſio fuit *indulgentiarum nundinatio*, qua Papa LEO X. anno 1513 electus, magnam pecuniae ſummam ad luxuriam ſuam explendam, licet alio vteretur praetextu, corradere decreuerat. Praefecerat huic negotio in Germania ſuperiori et Saxonia ALBERTVM, Archiepiſcopum Moguntinum et Magdeburgicum, qui monachis Dominicanis et inprimis IOH. TEZELIO indulgentiarum vendendarum curam commiſit. Qui cum in ludibrium religionis et modo impudentiſſimo homines pecunia ſua emungere ſtuderet, anno 1517 *Martinus Lutherus*, monachus Auguſtinianus et in Academia Wittenbergenſi, recens condita, Theologiae Profeſſor, magno ingenio et haud vulgari ſcientia praeditus, theſibus CXV publice affixis diſputationem contra hunc abuſum indixit. Longius deinde progreſſus et a FRIDERICO *ſapiente*, Saxoniae Electore, contra vim pontificis Romani et imperatoris CAROLI V proſcriptionem tectus atque a quibusdam doctis viris, praecipue a PHILIPPO MELANCHTHONE adiutus, meliorem religionis doctrinam ab eccleſiae Romanae erroribus repurgatam reſtituit. Eodem fere tempore, nempe anno 1518, HVLDRICVS ZWINGLIVS, praeco verbi diuini in Heluetia diſertiſſimus et doctiſſimus, Einſidla Tigurum vocatus, conatibus BERNHARDINI SAMSONII, Monachi Franciſcani et indulgentiarum per Heluetiam quaeſtoris, ſe oppoſuit et Epiſcopi Conſtantienſis ope effecit, ne Samſonius in vrbem addmitteretur. Cum vero Zwinglius plures alios eccleſiae Romanae errores et inter illos clericorum caelibatum taxaret et reiiceret, tantum abfuit, vt ante dictus Epiſcopus eius tueretur partes, vt potius quantum valuit, illi reſiſtere ſtuderet. Nihilominus laudabilia ſua coepta perſecutus eſt Zwinglius

et post aliquot annos hunc laborum suorum vidit fructum, vt publica senatus Tigurini autoritate imagines e templis tollerentur et missa abrogaretur. Adiunxerunt se ei extra Tigurum alii viri superstitionis ecclesiae Romanae pertaesi, inter quos praecipue nominandus est IOHANNES OECOLAMPADIVS, antistes Basileensis, quorum opera magna Heluetiae pars ad doctrinam ab illis traditam amplectendam est perducta. Post mortem Zwinglii inter Heluetios, eius asseclas, plane insignis autoritas fuit IOHANNIS CALVINI, ecclesiae et scholae Geneuensis per longum tempus doctoris celeberrimi, qui multis praeclaris scriptis facem aliis praetulit ad veritatem diuinam antea obscuratam, perspiciendam. THEODORVS BEZA, perpetuus eius amicus et fidelis adiutor in opere hoc salutari, iure quoque haud paruam gloriae partem emendatae religionis sibi vindicat, vt de aliis praestantissimis viris, qui tunc de ecclesiae renouatione bene sunt meriti, iam nihil dicamus. Tam a Wittenbergensibus, quam Heluetiis, rectior credendorum et agendorum, ad salutem aeternam consequendam requisitorum, cognitio ad plures iuit et breui tempore fere per omnes Europae prouincias noua, a reformatoribus accensa lux, suos sparsit radios eamque in vsum suum conuerterunt, quicunque prudentiorum monitis gererent morem.

Notatu digniores scriptores, qui *historiam reformationis* litteris consignauerunt, ad *Encyclopaediae theologicae* §. CCLXXXVI litt. a et b indicantur.

§. CXII.

Vti causa *Protestantium*, sic enim primum in Germania, deinde etiam extra Germaniam vocati sunt, qui, erroribus ecclesiae Romanae repudiatis, doctrinam a Reformatoribus in medium prolatam probauerunt, multos habuit fautores et sectatores; sic non paruus eorum, qui illi aduersarentur, erat numerus. Inprimis Pon-

Pontifices Romani et qui illorum ſaluam voluerunt eſſe poteſtatem, omnem mouerunt lapidem, vt nouam hanc, religionis emendandae cauſa ortam ſocietatem, vel plane opprimerent, vel eius impedirent incrementum. Poſt varia violenta remedia, fruſtra tentata, nonnullis liberum concilium optima pacis eccleſiae reſtituendae via eſſe videbatur; ſed cum Papa diu tergiuerſatus primum *Mantuam* 1536 ſine vllo ſucceſſu, deinde *Tridentum* 1542 *concilium* indixiſſet, idque tandem anno 1545 congregatum et poſt aliquam interruptionem continuatum et anno 1563 ad finem eſſet perductum, facile apparuit, in eo nullam Proteſtantium rationem habitam, ſed omnia ad Papae arbitrium acta eſſe. Sane hoc concilio non ſolum veteres eccleſiae Romanae errores confirmati, ſed noui etiam ſunt additi, quo factum eſt, vt illo diuortium inter Proteſtantes et Romano-Catholicos haud parum fuerit auctum. Germania iam ſub Carolo V religionis cauſa variis agitata eſt belli motibus, quos tandem anno 1552 ſedauit *transactio Paſſauienſis*, et cum paulum ſub aliquot ſucceſſoribus eius reſpiraſſet, adhuc magis illa turbata fuit *bello triginta annorum* ſub FERDINANDO II. ob regnum Bohemiae 1618 orto et 1648 *pace Monaſterienſi*, qua ſecuritati Proteſtantium maxime eſt conſultum, finito. In Anglia, Scotia, Gallia, Heluetia, Belgio et aliis quibusdam regionibus reformatio etiam cauſa fuit non ſolum grauiſſimarum perſecutionum, quas nouae doctrinae confeſſores ſunt perpeſſi, ſed etiam tumultuum hic et illic excitatorum et bellorum diu et atrociter geſtorum, adeo vt multo ſanguine conſtiterit conſcientiae libertas, quam Eccleſiae Proteſtantium in quibusdam Europae prouinciis ſunt conſecutae.

§. CXIII.

Summopere vero dolendum eſt, *diſſenſum* quendam *in doctrina de ſacra coena* iam Lutheri tempore

animos Proteſtantium a ſe inuicem diſtraxiſſe et inter Wittenbergenſes et Heluetios non leuem peperiſſe diſcordiam. Erant quidem tunc et ſaepe poſtea viri pacis ſtudioſi ab vtraque parte, qui vnionem tentarent; ſed alii caeco abrepti zelo, praecipue cum CALVINI *de praedeſtinatione ſententia* nouam litigandi materiam praebuiſſet, omni id egerunt ſtudio, vt diſruptum amoris vinculum nunquam coaleſceret. Prudentiores vero e *Reformatis*, ſiue iis, qui Zwinglii aut Caluini dogmata probant, et *Euangelico-Lutheranis*, ſiue iis, qui Lutheri ſequuntur placita, confitentur, differentiam opinionum vtriusque eccleſiae non eſſe tantam, vt mutuam ad religionis commoda promouenda harmoniam et fraternam animorum propenſionem vllo modo impedire debeat. Si quis de hac ſententiarum diuerſitate et aliis nouis tam inter ipſos Reformatos, quam Lutheranos, diuiſionibus et variis ab vtraque, vti a Romana eccleſia, ſeparatis et poſt reformationem natis ſectis non maligno et partium ſtudio occaecato animo iudicare velit, ante omnia illud Pauli dictum teneat: examinate omnia et bonum retinete. Amicus nobis ſit Lutherus, amicus Zwinglius et Caluinus, amicus Arminius, imo ipſe Socinus, ſed magis amica veritas.

§. CXIV.

Principia Proteſtantium genuinorum, qui Reformatorum veram imbiberunt mentem, haec fere ſunt: 1) in religione chriſtiana non autoritate humana, ſed claris Scripturae ſacrae ſententiis et ſanae rationis praeſcriptis ſtandum eſſe; 2) conſcientiae et ſentiendi libertatem nullis legibus humanis eſſe coercendam et cuiuis examen fidei, a parentibus et doctoribus ſuis acceptae, licere; 3) nulla vi vtendum eſſe in alios, quorum ſententia de quibusdam theologiae dogmatibus a noſtra differat et tan-

tum

tum argumentis, non autem minis, conuitiis, poenis et armis in errantes pugnandum; si vero homines quidam religionis obtentu publicam turbent tranquillitatem et ad seditionem eorum spectent molimina, imperantium esse, prouidere, ne quid respublica detrimenti ab illis capiat; 4) male agere ordinem ecclesiasticum, si magistratuum aut totius ecclesiae iura sibi vindicare studeat, contra tunc demum esse laudandum, si in obsequio summae potestati praestando aliis sit exemplo. Licet vero non semper omnes reformatores horum principiorum fuerint memores iisque conuenienter egerint; satis tamen liquet, eos, nisi causae suae nocere vellent, ne latum quidem vnguem ab illis recedere oportuisse. In genere vero cogitandum est, reformatores fuisse homines nec omnia statim videre et emendare potuisse, quae emendatione indigerent. Nunquam etiam sibi persuaserunt, sua doctrina quasi terminum esse positum, vltra quem in veritatis perscrutatione progredi non liceret. *Fidei confessiones*, quarum fuerunt autores, eum tantum in finem sunt confectae, vt omnibus declararent, quid de praecipuis religionis christianae capitibus sentirent et in quibus cum ecclesia Romana consentire non possent, non vero eas in omnibus legem credendorum perpetuam suis posteris datam esse voluerunt. Cum igitur superiori et nostro seculo in critica et philologia sacra multa noua et ante incognita sunt detecta, cum in omni philosophia magnus factus est progressus, cum ipsa hostium religionis dubia occasionem dederunt, quarundam praeconceptarum opinionum falsitatem perspiciendi, ingrati essemus in benignitatem diuinam, si his bonis vti nollemus. Non curanda ideo est quorundam, veterum formularum nimis tenacium, zelotarum querela, ac si a *nouis reformatoribus*, sic enim ex contemtu eos vocant, qui meliora edocti pristinas quasdam falsas opiniones reiiciunt, diruerentur

tur a veteribus firmiter fundata. Redeant, qui velint, in praeterita fecula, modo aliis aetatis noſtrae maiorem non inuideant lucem. Id vero ſemper nobis agendum eſt, ne poſthabita vera virtute et pietate, tanquam grauiſſimis, ſolam religionis theoriam excolamus.

CAPVT VI.

DE
DEO EIVSQVE PROPRIETATIBVS
SECVNDVM SCRIPTVRAM SACRAM.

§. CXV.

Quicquid ſana ratio de Deo docet (§. XXIX. ſeqq.), Scriptura ſacra vel diſerte confirmat, vel nihil, quod ipſi contrarium ſit, continet; non autem tam demonſtrat, Deum eſſe, quam pro certo ponit et oſtendit, id omnis religionis fundamentum eſſe Hebr. XI, 6. In plerisque, quae de Deo tradit, vtitur loquendi ratione populari et imaginibus, a rebus humanis deſumtis, quae ſolis verbis inhaerentem facile in errorem ducere poſſint; vt vero is euitetur, ex dictionibus propriis aliae impropriae ſunt interpretandae nihilque Deo, ſummae eius perfectioni contrarium, eſt tribuendum. Id etiam addi meretur, omnia, quae in ſacris paginis de Deo occurrunt, maxime eo tendere, vt tantum de eo cognoſcamus, quantum ſufficiat ad eum debito modo colendum. Ideo ſi quaedam de Dei proprietatibus exponuntur, fere ſemper monetur, ad quaenam officia illae nos obſtringant et quid boni ex illis in nos redundet. Non igitur in ſacris litteris quaerendae ſunt ſubtiles de eſſentia Dei aut aliis rebus in Deo abſtruſioribus, quae nihil ad nos pertinent, diſputationes. Deus enim non homi-

num curiositati sed saluti consuluit in iis, quae de se nobis reuelauit.

§. CXVI.

Nomina, quae Deo in sacris litteris tribuuntur, sunt sequentia *hebraea:* 1) יְהוָה Exodi VI, 3; 2) יָהּ; 3) אֶהְיֶה Exodi III, 14; 4) אֵל; 5) אֱלֹהַּ et in plurali אֱלֹהִים; 6) עֶלְיוֹן; 7) אֲדוֹנָי; 8) שַׁדַּי et *graeca:* 1) Θεός; 2) Κύριος. Sine causa a nonnullis צְבָאוֹת inter nomina diuina refertur; nunquam enim, quando de Deo vsurpatur, solum ponitur, sed semper coniungitur cum alio nomine diuino, dicitur nempe Deus אֱלֹהֵי צְבָאוֹת Deus exercituum, non autem exercitus. Occurrit interdum etiam יְהוָה צְבָאוֹת, vti Ps. XXIV, 10; sed tunc vox אֱלֹהֵי, per ellipsin omissa, ante צְבָאוֹת est supplenda 1 Reg. XIX, 10. 14: quia יְהוָה, vt nomen Dei proprium, aliud regere nequit. Ad Deum indicandum et a rebus ceteris distinguendum non nunquam adhibetur descriptio quaedam. Sic Deus appellatur *rex aeternus* siue *rex mundi* Ier. X, 10. Daniel. III, 33. 1 Tim. I, 17; *beatus et solus princeps, rex regnantium et dominus dominantium* 1 Tim. VI, 15; *pater coelestis* Matth. V, 16; *pater luminum* Iac. I, 17; *pater spirituum* Hebr. XII, 9.

Confer. IOH. BVXTORFII *Dissertatio de nominibus Dei hebraicis*, quae est quinta *Dissertationum* eius *philologico-theologicarum*, Basileae 1662 in 4. editarum. Exstant etiam HOTTINGERI, LEVSDENI, ALTINGII, SCHWARZII et aliorum quorundam de eodem argumento dissertationes. In etymologia et significatione aliquot horum nominum

num definienda non consentiunt inter se philologi celebriores.

§. CXVII.

Conuenit Deo *aeternitas* (§. XXXII.) Pf. XC, 2; ideo dicitur *aeternus* Rom. XVI, 26; *primus et vltimus* Ief. XLI, 4. C. XLIV, 6; *incorruptibilis* 1 Tim. I, 17; *immortalis* 1 Tim. VI, 16. Cum aeternitate coniuncta est *immutabilitas*, quia nulla in eo successio locum habet et semper est idem Pf. CII, 28. Malach. III, 6. Rom. I, 23. Iac. I, 17. Potest tamen suae gratiae et iustitiae effecta pro diuersitate eorum, quae homines agunt, mutare Deut. XXX, 15-20. Pf. VII, 12-14. Natura sua est *infinitus* Pf. CXLV, 3; *a se* et *independens* Act. XVII, 25. Rom. XI, 35.

§. CXVIII.

Vnus tantum est Deus (§. XXXVI.) Deuter. VI, 4. 1 Cor. VIII, 4-6. 1 Tim. II, 5, qui, vt a fictis gentilium Diis discernatur, dicitur *solus verus* Ioh. XVII, 3 et *viuus Deus* Ier. X, 10. Act. XIV, 15, qui intellectu et voluntate praeditus Ief. XL, 28. Pf. CXV, 3. CXXXV, 6 et hinc *Spiritus* (§. XXXIV.) Ioh. IV, 24 et quidem omni corpore carens ac inuisibilis est Exodi XXXIII. 20. 23. 1 Tim. I, 17. C. VI, 16. Quando ergo illi oculus, aures, vultus, brachium, manus et alia membra humana adscribuntur Pf. XXXIV, 16. 17. Exodi VI, 6. Pf. XIX, 2; id improprie est intelligendum, et quando eum ab vno vel altero visum esse, vel in vita post mortem futura a beatis visum iri legimus; prius de symbolo quodam praesentiae, aut angelo legato eius, et posterius de maiori et clariori Dei cognitione interpretari nos oportet.

§. CXIX.

Intellectus Dei est summus (§. XXXIV.), cui, quaecunque cognosci possunt, patent et qui omnia vno quasi

quasi intuitu i. e. simul et distinctissime perspicit Ps. CXLVII, 5. Hebr. IV, 13. Deum ergo tam nihil eorum, quae in ipso, quam quae extra ipsum sunt, fugit 1 Cor. II, 10. 11. Nouit non solum *scientia visionis*, quae etiam *libera* dicitur, omnes res huius mundi earumque mutationes praeteritas, praesentes et futuras Act. XV, 8. 1 Ioh. III, 20 et quidem maxime latentes, vt cogitationes hominum Ps. CXXXIX, 2. Ier. XVII, 10. imo minimas Matth. X, 29. 30. eiusque *praescientia* quaecunque futura, siue sint necessaria, siue contingentia, certissime praeuidet, quod ex variis praedictionibus, in Scriptura sacra memoratis v. g. Exodi III, 19. Ierem. XXV, 11 et dictis clarissimis, quibus haec intellectus virtus ipsi soli vindicatur Ies. XLI, 22. 23. C. XLIV, 7. C. XLVI, 9. 10 constat; sed etiam omnia mere possibilia ipsi sunt cognita *scientia simplicis intelligentiae*, quae etiam *naturalis* aut *necessaria* vocari solet Gen. XI, 6. Ps. LXXXI, 14. 15. Distingui certo modo ab vtraque scientia potest ea, quam nonnulli *mediam* appellant et quae circa res huius mundi, posita alia conditione aliter futuras, versatur; quo referri solet, quod de Kegilensibus responsum est Dauidi 1 Sam. XXIII, 12. Eam quidem, vel quasi sub scientia simplicis intelligentiae iam comprehensam, vel vt Deo indignam, alii omittunt; alii tamen, vt ab ea omnino diuersam nec Deum dedecentem, haud repudiandam esse existimant. Nihil autem impedit, quo minus locum illi concedamus, si modo caueatur, ne Deum tantum per coniecturam eiusmodi res, quae nobis videntur esse incertae, praescire arbitremur. Ex dictis iam facile colligitur, cognitionem Dei esse maximam et quiduis, quod modo intelligi potest, complecti; ideo Deus est *omniscius*. Magnitudinem intellectus diuini, qui est infinitus, mens nostra finita nullo modo capere potest Ps. CXXXIX, 6.

Scien-

Scientiae mediae primus meminit PETRVS FONSECA, quem LVDOVICVS MOLINA, SVAREZIVS et multi alii in ea tuenda ſunt ſecuti. De ea videatur FR. ANNATI *Scientia media contra nouos eius impugnatores defenſa.* Pariſiis 1692. 4. Quaedam contra eam monet NIC. GÜRTLERVS in *Inſtitutionibus theologicis* C. III. §. 67-71.

De *magnitudine intellectus diuini* multis agit CHRIST. WOLFIVS in *ſpecimine phyſicae ad Theologiam applicatae*, *ſiſtente notionem intellectus diuini per opera naturae illuſtratam*, quod ſub forma diſſertationis Halae 1717 prodiit et deinde LVD. PHIL. THÜMMIGII *Meletematibus varii et varioris argumenti*, Brunſuigae et Lipſiae 1727 in 8 editis, eſt inſertum.

§. CXX.

In praeſcienta diuina duplex vitandus eſt error, *alter* eorum, qui res tantum neceſſarias i. e. a ſolis cauſis phyſicis effectas, non autem fortuitas et in his liberas ratione vtentium actiones a Deo praeuideri poſſe, ſibi perſuadent, quem ex falſa rerum contigentium et libertatis notione committunt; nam etiam res contingentes et in his liberae hominum aut aliorum ſpirituum actiones a certis pendent rationibus, quas qui penitus cognitas habet, quid earum ſit conſequens, ſimul intelligit: *alter*, in quem incidunt illi, qui praeſcientia diuina omnibus rebus neceſſitatem quandam imponi putant. Licet enim certo ſint futura, quae Deus cognouit factum iri; ſunt tamen tantum ſub quadam conditione, non abſolute neceſſaria. Neque praeſcientia Dei rerum futurarum eſt cauſa, aut vllam illis adfert mutationem, quae, ſi ſunt fortuitae, naturam ſuam retinent et vt tales a Deo praeuidentur. Nobis ergo in iis, quae agimus, non ad praeſcientiam diuinam eorum,

eorum quae futura ſint, cuiuis plane ignotorum, ſed ad ea, quae officii ratio a nobis poſtulat, eſt reſpiciendum ac ita omnia ſunt inſtituenda, ac ſi nihil antea eſſet determinatum.

§. CXXI.

Habet Deus cognitionem rerum omnium certiſſimam i. e. proprie ſic dictam *ſcientiam* (§. CXIX.); ideo errare et falli nequit 1 Ioh. I, 5. Nouit omnia, hinc et rerum ſingularum nexum i. e. ſumma *ratione* praeditus eſt Ier. XXXII, 18. 19. Ipſi etiam cognita ſunt remedia ad finem, quem ſibi propoſuit, requiſita et aptiſſima; ideo ſumma pollet *ſapientia* (§. XXXIII) Iobi XII, 13. Rom. XI, 33. 1 Tim. I, 17, quam oſtendit in rerum, quas creauit, mirabili diſpoſitione, vt altera ſemper ſit propter alteram Prou. III, 19. 20. Ier. LI, 15 et in gubernatione totius vniuerſi, vt, quaecunque accidant, ad ſupremum quendam finem, qui eſt gloria ipſius Prou. XVI, 4. Rom. XI, 36. conſpirent Ieſ. XXVIII, 29.

§. CXXII.

Voluntas Dei, quae ſummum ſequitur intellectum, non poteſt non eſſe *perfectiſſima* Rom. XII, 2; eſt enim *liberrima* Matth. XI, 26. Epheſ. I, 5 et *conſtantiſſima* Hebr. VI, 17. nullis turbatur affectibus Num. XXIII, 19 Rom. II, 11, ſemper fertur in optimum Pſ. CXI, 3 et omne malum auerſatur, hinc eſt *ſancta* Pſ. V, 5. Eadem eſt *potentiſſima*, quia, quicquid ipſi libet, efficere poteſt Pſ. CXV, 3 et nihil voluntati eius reſiſtere valet Rom. IX, 19. Ideo Deus dicitur *omnipotens* Apoc. I, 8 et nihil ipſi impoſſibile eſſe affirmatur Matth. XIX, 26. Lucae I, 37; quod tamen cum certa intelligendum eſt cautione. Nam omnipotentia Dei ſe tantum extendit ad res in ſe poſſibiles et quicquid in ſe eſt impoſſibile, ſiue quod ſibi repugnat, nihil eſt; ex eiusmodi autem nihilo

nihil poteſt fieri, nulla igitur potentiae diuinae ſit diminutio, ſi, quod in ſe eſt impoſſibile, illius ſubtrahatur exercitio. Quia Deus eſt omniſcius et omnipotens, eſt etiam *omnipraeſens* (§. XXXV.) Pſ. CXXXIX, 7-12. Ier. XXIII, 24. Act. XVII, 27. 28. Non autem conſiſtit *omnipraeſentia diuina* in quadam naturae eius extenſione, qua totum impleat vniuerſum, quod ob ſimplicitatem eius fieri nequit. Deſcriptiones ergo quaedam huius omnipraeſentiae, quibus interdum Scriptura ſ. vtitur, quae eiusmodi quid innuere videntur, ſunt tantum populares et eo modo interpretandae, vt nihil aliis proprietatibus diuinis contrarium ponatur.

Tribuuntur quidem Deo in Scriptura ſ. *affectus* v. g. ira, odium, ſpes, metus et alii plures, non tamen proprie, ſed improprie. Explicandi autem ſunt *affectus*, quibus Deus commoueri dicitur, per *effectum* et ratione Deum decente, vt omnis ab eo remoueatur imperfectio. Confer. SAL. GLASSII *Philologia ſacra* pag. 1550. ſeqq.

§. CXXIII.

Diuidi ſolet *voluntas diuina* 1) in *abſolutam*, cum ſine cauſa intermedia agit, et *conditionatam*, qua vtitur cauſis intermediis; 2) in *antecedentem*, qua in genere omne vult bonum, et in *conſequentem*, quae non niſi boni in omni rerum nexu conſiderati rationem habet, quae poſterior eſt vel *approbans*, quae circa id, quod in ſe rectum eſt, verſatur, vel *permittens*, quae etiam quaedam minus recta ob ſapientiſſimas cauſas non impedit, quo minus fiant; 3) in *arcanam*, quae ad nobis incognita decreta diuina refertur, et *reuelatam*, quae declaratione eorum, quae fieri ſibi placeat vel quorundam, quae futura ſint, aut per rationem aut per Scripturam ſacram facta, conſtat.

Diſtin-

Diſtinctione voluntatis diuinae in *antecedentem* et *conſequentem* iam vſus eſt CHRYSOSTOMVS in *homilia prima in Epiſtolam ad Epheſios*, eandem adhibuit IOH. DAMASCENVS in libro II. *de orthodoxa fide* c. XXIX, quem nonnulli ex ſcholaſticis ſunt ſecuti. Poſterioribus temporibus multum de ea eſt diſputatum, aliis eam probantibus, aliis improbantibus, de qua lite conſuli poteſt IOH. IAC. HOTTINGERI *Exercitatio de voluntate Dei antecedente et conſequente*, quae eius *Hiſtoriae de praedeſtinatione et gratia* Tiguri 1727. in 4. editae p. 423 ſeqq. eſt annexa. Noſtro iudicio nihil obſtat, quo minus eam retineamus, ſi modo recte explicetur.

§. CXXIV.

Perfectiones Dei morales ſiue *virtutes* (§. XXXV.) ſunt: 1) *ſapientia*, vti in exſecutione propoſiti ipſius ſpectatur, cuius iam mentio facta eſt (§. CXXI.), 2) *bonitas* Pſ. CXLV, 8. 9. quae latiſſime patet et omnibus rebus creatis proſpicit Pſ. XXXVI, 6. CXLV, 9. inprimis piorum agit curam Pſ. CIII, 13. 17. 18. ex variis ſpeciminibus cognoſcitur Pſ. XXXIII, 5. Ioh. III, 16. Act. XIV, 17. inexhauſta Rom. II, 4. c. XI, 33 et aeterna eſt Pſ. CXXXVI, 1. ſeqq. CXXXVIII, 8. cui tanquam ſpecies adnumerantur *gratia* Exodi XXXIV, 6. 7. Tit. II, 11. *miſericordia* Deut. IV, 31. Pſ. LI, 3. *lenitas* Matth. V, 45. et *longanimitas* Pſ. CXLV, 8. Rom. II, 4, 3) *iuſtitia* Pſ. XXXIII, 5. XXXVI, 7. quae tam in aequitate legum ab ipſo latarum Pſ. XIX, 10. quam recta praemiorum et poenarum ſecundum merita cuiusuis diſtributione cernitur Pſ. LXII, 13. Prou. XXIV, 12. Rom. II, 6. 11. 4) *ſanctitas* Ieſ. VI, 3. Iac. I, 13. 5) *Veracitas*, qua ab omni fallacia abeſt et in omnibus dictis, etiam promiſſionibus et comminationibus ſuis fidem

seruat Num. XXIII, 19. Deut. XXXII, 4. quae a veritate interna, quae in Deo est, certo modo distinguitur, 6) *constantia*, quae ex immutabilitate voluntatis eius est deriuanda Ies. LIV, 10.

§. CXXV.

Ex complexu omnium harum perfectionum oritur in Deo *summa felicitas*, qua bonis quibuscunque affluit et ob eorum certissimam possessionem sempiterna afficitur voluptate Ps. XVI, 11. 1 Tim. I, 11. c. VI, 15. Inde quoque, si hae perfectiones a spiritibus creatis cognoscuntur, deriuanda est *gloria* Dei, qua quaeuis praeclarissima ita antecellit, vt nihil cum illo possit comparari Ps. XLVIII, 11. 1 Tim. I, 17. c. VI, 16.

§. CXXVI.

Consideratio diligens perfectionum diuinarum in genere hunc habet vsum: 1) vt reuerentia pleni notionem de Deo nobis formemus maiestate eius dignam et ab illo omnia eum minus decentia remoueamus Ps. XL, 6. Ies. XL, 12-18. 2) vt virtutes eius morales, quantum fieri potest, imitemur Matth. V, 48. Lucae VI, 36. 1 Petr. I, 15. 16. 3) vt ad omnia officia tam Deo, quam aliis debita, incitemur. Si enim, quam magnus, quam bonus, quam sapiens et potens sit Deus, nouimus, fieri aliter non potest, quam vt ipsum pie colamus, amemus, in eo nostram ponamus fiduciam et per eum summi, quod sperare possimus, boni participes fieri studeamus. Cum vera pietate coniunctae etiam sunt aliae virtutes, quae ab homine pro diuersa vitae suae ratione requiruntur Deut. X, 20. Ps. LXXIII, 25. 26. 2 Petri I, 5-7. 1 Ioh. IV, 20.

De officiis, ad quae recta Dei cognitio nos impellit, pluribus agetur in *Theologia morali.*

§. CXXVII.

§. CXXVII.

Huc vsque vidimus ea, in quibus f. Scriptura de Deo agens plane cum ratione consentit; continet autem praeterea quaedam de Deo, quae reuelationis sunt propria, cum *trium in Deo, patris, filii et spiritus sancti* mentionem facit Matth. III, 16. 17. c. XXVIII, 19. 2 Cor. XIII, 13. 2 Petri I, 2. Vt loca haec explicent theologi, alii nomina haec tantum diuersam Dei ad vera hominis commoda relationem indicare sibi persuadent et eundem Deum, vt nostrum creatorem, redemtorem et sanctificatorem venerantur Mal. II, 10. Lucae I, 47. 1 Tim. II, 3. c. IV, 10. Exodi XXXI, 13. 1 Thess. V, 23: id quod simplicissimum est et ad fidem cuiusuis hominis christiani sufficere videtur; alii appellationibus his diuersitatem quandam in diuina essentia innui arbitrantur et patrem, filium et spiritum sanctum volunt esse tres substantias, siue subsistentias, siue personas, eiusdem diuinae essentiae participes, quae vulgatior est doctrina de trinitate, a qua haud pauci, sed diuerso modo, abeunt.

Loco 1 Ioh. V, 7, vt merito νοθείας suspecto, non vtemur.

§. CXXVIII.

Secundum mentem eorum, qui diuersitatem quandam essentiae diuinae statuunt, *pater ab aeterno genuit filium* Ps. II, 7. inde filius dicitur vnigenitus Ioh. I, 18. proprius Rom. VIII, 32. et primogenitus omnis creaturae Col. I, 15; *spiritus* autem *sanctus progreditur a patre et filio* Ioh. XV, 26. vbi ἐκπορεύεται, quod de missione proprie intelligendum est, de processione exponitur. Quod autem etiam a filio procedat spiritus, ex eo patere putant, quia filii spiritus dicitur Gal. IV, 6. Quamuis vero hi tres characteribus quibusdam a se inui-

cem ſint diſtincti, dignitate tamen ſunt pares et tres perſonae in eadem diuina eſſentia ſubſiſtunt, ſiue ὁμοούσιοι ſunt cenſendi. Quoniam autem non ſatis comprehendi poteſt, in qua re haec vnio conſiſtat et quomodo hi tres non niſi vnus ſint Deus, doctrina haec *myſterium trinitatis* vocatur, quod quidem ſupra non contra rationem ſit. Non enim tres perſonae vnica perſona, nec tres Dii vnus Deus dicuntur, quod ſibi repugnaret; ſed tres perſonae creduntur in vnica diuina eſſentia ſubſiſtere, ideo vnus tantum eſt Deus.

Confer. G. G. LEIBNITII *Sceleton demonſtrationis doctrinae trinitatis*, quod cum Simone Loefflero communicauit et quod Tomo IV. *epiſtolarum* eius a Kortholto editarum p. 256 ſeqq. eſt inſertum et IAC. CARPOVII *reuelatum Trinitatis myſterium methodo demonſtratiua propoſitum*, cuius editio altera Francofurti et Lipſiae 1737. 4. prodiit. Voce *perſona* in doctrina de trinitate primus vſus eſt TERTVLLIANVS, eius loco in concilio Nicaeno vocabulum πρόσωπον et in ſymbolo Athanaſii ὑπόστασις, ex Hebr. I, 3 ſumtum, adhibetur. Ὁμοουσία perſonarum in Concilio Nicaeno eſt ſtabilita. THEOPHILVS ANTIOCHENVS primus, quantum conſtat, Libro II. *ad Autolycum* cap. 23. vſurpauit vocem τριὰς i. e. trinitas, de hac doctrina loquens. Vid. IOH. GE. WALCHII *Bibliotheca patriſtica* p. 376. 377.

§. CXXIX.

In ſpecie, cum de diuinitate patris nemo dubitat, *filium eſſe Deum*, probatur, quia ipſi tribuuntur: 1) *nomina diuina* Ioh. I, 1. c. XX, 28. Act. XX, 28. Rom. IX, 5. 1 Tim. III, 16. Hebr. I, 8. 9. 2) *proprietates diuinae*, vt aeternitas Ioh. I, 1. quo etiam certo

modo

modo pertinet Ioh. VIII, 58. immutabilitas Hebr. I, 12. omniſcientia Ioh. II, 25. c. XXI, 17. omnipotentia Philip. III, 21. omnipraeſentia Matth. XVIII, 20. c. XXVIII, 20. 3) *opera diuina*, nempe creatio omnium rerum Ioh. I, 3. Col. I, 16. Hebr. I, 10. hominum redemtio Matth. XX, 28. reſuſcitatio mortuorum et alia miracula Ioh. V, 21. adminiſtratio vltimi iudicii Ioh. V, 22. Act. X, 42. c. XVII, 31. 4) *cultus diuinus*, iubemur enim honorare filium, vt patrem Ioh. V, 23. eum adorare Philip. II, 9. 10. quod etiam apoſtoli Lucae XXIV, 52. et Stephanus Act. VII, 58. 59. fecerunt, et in eo ſpem et fiduciam noſtram ponere Ioh. III, 36; ideo quoque in nomen eius baptizamur Matth. XXVIII, 19.

In locis Act. XX, 28. et 1 Tim. III, 16. eſt varietas lectionis, hic diiudicanda. De interpunctione vltimorum verborum Rom. IX, 5. non inter omnes conuenit. Diuerſae adferri ſolent rationes, ob quas Chriſtus dicatur *filius Dei* et quidem 1) ob conceptionem et natiuitatem ſupernaturalem, vt nullum alium niſi Deum patrem habuerit Lucae I, 35. quemadmodum ob eandem rationem Adamus filius Dei appellatur Lucae III, 38. 2) quia pater eum miſit et ad munus, quo ipſi fungendum erat, ſanctificauit Ioh. X, 35. 36. ſic quoque homines pii, qui Dei exſequuntur mandata, filii Dei vocantur Ioh. I, 12. 3) quia Deus eum e mortuis excitauit et quaſi ad nouam regenerauit vitam Act. XIII, 32. 33. Rom. I, 4. Col. I, 18. 4) quia ipſi ſummum in eccleſiam imperium eſt conceſſum Hebr. V, 5. vti magiſtratus ob poteſtatem, qua gaudent, filiorum Dei nomine inſigniuntur Pſ. LXXXII, 6. ſed 5) ob ſingularem rationem filius Dei eſt Chriſtus, quia cum natura diuina intime erat coniunctus Ioh. I, 14. 2 Cor. V, 19. Hebr. I, 3. Iudaeos Meſſiam hoc

nomine notasse, ex Matth. XXVI, 63 et aliis locis perspicitur. Quod primi Christiani Christum vt Deum sint venerati, testimonium PLINII Lib. X. ep. XCVII. confirmat. Qualis de hoc fidei articulo patrum ante concilium Nicaenum fuerit doctrina GE. BVLLVS et qui contra eum scripserunt, ostendere sunt conati. Confer. de hac controuersia IOH. GE. WALCHII *Bibliotheca theologica selecta* Tomo I. p. 969-972.

§. CXXX.

Eodem fere modo euincitur, *spiritum sanctum esse Deum;* nam 1) si non expresse, tamen secundum consequentiam quandam *Deus nominatur* Act. V, 3. 4. 1 Cor. III, 16. 2) adscribuntur ipsi *attributa diuina*, vt omniscientia 1 Cor. II, 10. omnipraesentia Ps. CXXXIX, 7 et potentia singularis Eph. III, 16. 3) perficere dicitur *opera diuina*, cuiusmodi sunt creatio Ps. XXXIII, 6. regeneratio Tit. III, 5. sanctificatio 1 Cor. VI, 11 et donorum extraordinariorum distributio 1 Cor. XII, 10. 11. 4) eum *cultu diuino* prosequendum esse docetur; baptizandi enim sumus in nomen eius Matth. XXVIII, 19 eiusque expetenda est communio 2 Cor. XIII, 13.

Vocabulum hebraeum רוּחַ et graecum πνεῦμα proprie *halitum* et deinde *ventum* significant Gen. VI, 17. c. VIII, 1. Ioh. III, 8. Iac. II, 26. saepe tamen ob quandam venti vim vitalem notant *substantiam cogitantem*, siue *spiritum* et quidem vel *Deum ipsum* Iobi XXXIII, 4. Ioh. IV, 24. vel *angelum* Hebr. I, 14. vel *animam hominis* Eccl. XII, 7. Act. VII, 58. *certus quoque Dei impulsus* et *diuersae animi affectiones* spiritus vocantur. Inprimis, quando *spiritus Dei* siue *spiritus sancti* sit

fit mentio, intelliguntur vel *Deus ipse* Lucae I, 35. Rom. XIV, 17. vel *vis diuina miracula peragendi* Matth. XII, 28. 32. Rom. I, 4. 1 Petri III, 18. vel *dona Dei* tam *extraordinaria*, quam *ordinaria* Matth. VII, 11 coll. cum Lucae XI, 13. Ioh. VII, 39. Act. XIX, 2. Quia autem spiritus sanctus interdum vt a patre et filio diuersus describitur et ipsi entis intelligentis propria tribuuntur Ioh. XIV. 16. 17. 26. c. XV, 26. inde fit, vt a multis tanquam persona diuina, a patre et filio in quibusdam diuersa, consideretur. Quam multiplicem vocabulum *Spiritus* in scriptis N. T. habeat vim, prae aliis dilucide ostendit GVIL. ABR. TELLERVS in dem *Wörterbuch des N. T.* sub voce *Geist*.

§. CXXXI.

In *doctrina de Deo patre, filio et spiritu sancto* exponenda videndum est: 1) ne quid statuamus, quod vnitati Dei aut aliis certis rebus, tam per sanam rationem quam ex reuelatione cognitis, sit contrarium; 2) vt loca Scripturae s. obscuriora per clariora explicemus et illis magis innitamur, quam decretis conciliorum, quibus multae in hanc doctrinam inuectae sunt subtilitates; 3) vt semper attendamus ad Scripturae sacrae finem, quem in iis, quae de Deo patre, filio et spiritu sancto docet, sibi habuit propositum et qui nullus alius est, nisi vt extra dubium ponat, omnia bona, ad praesentem et futuram nostram felicitatem facientia et tam per creationem et prouidentiam, quam redemtionem eiusque applicationem nobis procurata, a Deo proficisci; 4) vt non omnem a vulgari doctrinae huius formula dissensum tanquam maxime periculosum et noxium consideremus. Si quis enim doctrinae huius retinet summam et pro suo captu piaque mente cre-

dit in vnum verum Deum et in eum, quem misit Iesum Christum ac spiritus sancti gratia ad vitae suae emendationem recte vtitur, parum referre videtur, vtrum hoc vel illo modo difficultates in his rebus occurrentes e medio remouere studeat.

Singulari diligentia in *doctrinam de trinitate* inquisiuit SAM. CLARKE in libro de illa anglice Londini 1712 et iterum 1719. 8 euulgato et qui germanice versus sub hoc titulo: *Die Schriftlehre von der Dreyeinigkeit, worinn iede Stelle des N. T. die diese Lehre angehet, besonders betrachtet und die Gottheit unsers hochgelobten Heylandes nach den Schriften bewiesen und erklaeret wird von* SAM. CLARKE. Francofurti et Lipsiae 1774. 8. Quia Clarkius *subordinationem* quandam *trium personarum* ponit, alius Anglus GVIL. IONES catholicam de trinitate doctrinam in libro de ea anglice scripto et Londini 1767. 8 editio tuitus est. Nouo sed non valde probabili modo doctrinam de trinitate explicare studuit P. MATY in scripto gallico 1730. 4 Vol. 8 in vulgus misso, cuius sententiam examini subiecit IOH. LAVRENTIVS MOSHEMIVS in *Historia critica nouae explicationis dogmatis de tribus in Deo personis, quam vir clariss.* PAVLVS MATY *excogitauit, cui accedit modesta in veritatem eius explicationis inquisitio,* quae etiam legitur in Vol. II. *Dissertationum* eius *ad Historiam ecclesiasticam pertinentium* p. 399. seqq. GROTIVS suam de trinitate sententiam, quae etiam fuit KECKERMANNI, in *Syluis sacris* et quidem in carmine, *eucharistia* inscripto, his exposuit versibus:

Aeterna tua mens hoc quod est intelligens
Sapientiam progenuit aequalem sibi,

Se

Se mensa quanta est compari imagine,
At hinc videntem colligans visumque amor
Processit, in se vim repercutiens suam,
Vnumque tria sunt: quam quod es, scis, vis
idem est.

Historiam huius dogmatis petere licet e PETAVII *Dogmatum theologic.* Tomo II. IO. FORBESII *Instructionum historico-theologicarum* Lib. I. c. 2. p. 2. seqq. HENR. ALTINGII *Theologiae historicae* loco tertio p. 166 seqq. et ex ADRIANI *a* CATTENBVRGH Spicilegio Theologiae christianae p. 162 seqq. Multum disceptatum est in ecclesia veteri de trinitate et inprimis persona Christi, praecipue post concilium Nicaenum. A sententia catholicorum discesserunt PRAXEAS, HERMOGENES, NOËTVS, et SABELLIVS sec. 3. qui personarum discrimen sustulisse dicuntur; CERINTHVS sec. I. EBION, THEODOTVS CORIARIVS, ARTEMON sec. 2. PAVLVS SAMOSATENVS sec. 3 et PHOTINVS sec. 4. qui Christum Deum esse negarunt; ARIVS sec. 4. qui Christum voluit esse primum et praestantissimum operum Dei, quo tanquam instrumento in mundi creatione vsus sit, cuius opinionis plures per longum tempus fuerunt fautores, *Ariani* et *Semiariani* dicti; APOLLINARIS sec. 4 NESTORIVS sec. 5 et EVTYCHES eodem seculo, qui de duabus Christi naturis non recte sensisse perhibentur; MACEDONIVS sec. 4, qui asserebat, Spiritum sanctum esse vim creatam, famulum ac ministrum filii, cui maximam partem assentiebantur EVDOXVS et EVNOMIVS; denique IOH. PHILOPONVS, grammaticus et philosophus Alexandrinus sec. 6. qui in Deo tres substantias plane aequales et essentia diuersas esse contendit et ideo *tritheismi* est accusatus. Inter

Scho-

Scholasticos doctrinam de trinitate hoc modo explicabat ABAELARDVS: *ſicut eadem oratio eſt propoſitio, aſſumtio et concluſio, ita eadem eſſentia eſt pater et Filius et Spiritus ſanctus;* ob quam ſententiam in concilio Sueſſionenſi 1121 a Bernhardo in ius vocatus eſt. Circa et poſt tempus reformationis fuerunt nonnulli, qui trinitatem reiicerent, vt MICH. SERVETVS, qui libros VII *de trinitatis erroribus* edidit, VALENT. GENTILIS, MATTHAEVS GRIBALDVS et GEORGIVS BLANDRATA, qui *Arianiſmo* fauebant, ad quem ſuperiori et praeſenti ſeculo plures, praeſertim in Anglia, inclinarunt; IOH. PAVL. ALCIATVS, BERNHARDINVS OCHINVS, FRANCISCVS DAVIDIS, LAELIVS et FAVSTVS SOCINVS, cuius placita *Sociniani*, ſiue vt ipſi ſe vocant, *Vnitarii* ſunt ſecuti, de quibus videatur CHRISTOPH. (CHRIST.) SANDII *Bibliotheca Anti-Trinitariorum.* Freiſtadii 1684. 8. qui liber multis acceſſionibus auctus FRID. SAM. BOCKII *Hiſtoriae Antitrinitariorum* Regiomonti et Lipſiae 1774. in 8. euulgatae Tomi primi partem primam conſtituit. Quiniam ſint *Samoſateniani neoterici*, quorum mentio fit in Auguſtana Confeſſione, diſquirit IOH. GE. WALCHIVS in Diſſertatione quadam de hoc argumento Ienae 1730 defenſa. Idem ſcripta controuerſiarum cum Socinianis atque aliis Anti-Trinitariis recenſet in *Bibliothecae theologicae ſelectae* Tomo I. p. 901. Liberius de doctrina Athanaſiana et de perſona Chriſti ſententiam ſuam dixit EDVARD HARWOOD in duabus prioribus diſſertationibus quatuor illarum, quae cum praefatione GVIL. ABR. TELLERI ex anglico in germanicum ſermonem verſae Berolini 1774. in 8. prodierunt.

CAPVT VII.

DE RERVM OMNIVM CREATIONE.

§. CXXXII.

Ad Deum recte cognoscendum opus est, vt praeter perfectiones etiam *opera* siue actiones eius attento consideremus animo. Sunt autem *actionum diuinarum* aliae *internae*, nempe decreta, aliae *externae*, quae in mundi huius creatione, et prouidentia, qua Deus omnibus rebus creatis prospicit, consistunt. Agemus autem in hoc capite de rerum omnium creatione; doctrinam vero de decretis Dei, de quibus non nisi ex euentu ratione certiori iudicari potest, adiungemus iis, quae in capite sequenti de prouidentia Dei dicentur.

§. CXXXIII.

Fundamentum doctrinae Scripturae sacrae de rerum omnium ortu est *historia creationis*, quam Genes. I. a Mose relatam legimus et quae cap. II. in quibusdam illustratur. Eam accepisse videtur Moses ex traditione veteri, quam cum probauit, non est quod de veritate eius dubitemus. Continet autem illa non philosophicam originis rerum explicationem, sed popularem eius descriptionem, quae sufficeret ad rudes illorum temporum homines in iis, quae Deus in mundo condendo et exornando fecit, erudiendos. Id vero in historia hac litteris consignanda praecipue spectauit Moses, vt non solum vnum Deum, vt mundi autorem venerandum esse demonstraret, sed etiam vt fabulis gentilium de cosmogenia omnem detraheret fidem. Nulla igitur causa est, cur in hac simplici narratione multa quaeramus mysteria et

sensu

ſenſu allegorico, vel praeter litteralem, vel hoc poſteriori plane neglecto, illi quaedam affingamus, de quibus Scriptor eius nunquam cogitauit.

Valde abuſi ſunt ingenio ſuo, partim qui hypotheſibus philoſophicis, in auxilium vocatis, hiſtoriam creationis explicare voluerunt, vti CARTESIVS, BVRNETVS, WHISTONVS et BVFFON, partim qui in allegorico eius ſenſu expiſcando multum elaborarunt, id quod poſt patres nonnullos inprimis fecit VITRINGA. Varias veterum coſmogenias recenſent autores *Hiſtoriae vniuerſalis* germanice verſae Parte I. p. 68. ſeqq. In hiſtoria creationis explananda praeter Commentatores Geneſeos IOH. HENR. HOTTINGERVS, IOSVA PLACAEVS, CHRIST. SCHOTANVS, Abbas *d'*ASFELD, T. H. *van den* HONERT et alii diligentem poſuerunt operam.

§. CXXIV.

Prima hiſtoriae creationis verba: *in principio creauit Deus coelum et terram*, referenda ſunt ad materiae huius mundi, ſiue omnium elementorum, ex quibus corpora conſtant, et reliquarum rerum ſimplicium procreationem, quae, vti poſtea videbimus, ex nihilo et momento temporis facta eſt. Quae deinde de *ſex diebus creationis* commemorantur, intelligenda ſunt de formatione partium huius vniuerſi et inprimis terrae noſtrae eorumque, quae continet, qua ſenſim omnia perfectiora reddita et in eum perducta ſunt ordinem et ſtatum, qui fini Dei maxime reſponderet. Quare autem ſex et non plures aut pauciores dies in hoc opus inſumti ſint et quaenam totius ordinis in iis, quae ſingulis diebus formata ſunt, ſeruati ſit ratio, non ſatis conſtat; id tamen, quod ad poſterius attinet, clarum eſt, terram pri-

mum

mum totam aquis fuiſſe circumfuſam et deinde, aquis partim vaporibus in altum eleuatis, partim certa in loca congregatis, ad habitationem et nutrimentum animantium et hominum aptam fuiſſe factam.

Vid. G. G. LEIBNITII *Protogaea*, a CHRIST. LVD. SCHEIDIO edita Gottingae 1749. 4. Conferantur etiam *Obſeruationes generaliores in hiſtoriam creationis et philologicae in primam eius particulam*. Halae 1770. 4.

§. CXXXV.

Accedimus iam ad opera ſingulorum dierum. Protulit Deus *primo die* lucem Gen. I, 3-5. i. e. materiam lucis, ex qua corpora coeli lucida originem ducunt, in certa diſtribuit loca; *ſecundo die* 1) conſtituit expanſum, quod maxime atmoſphaeram, terram circumdantem, indicat et interdum etiam vlterius coeli ſpatium, aethere repletum, ſub ſe comprehendere videtur. 2) Hoc expanſo diſtinctae ſunt aquae ſuperiores, ſiue nubibus contentae, Iobi XXVI, 8. Pſ. CXLVIII, 4. Ier. X, 13. ab inferioribus, in pluribus terrae locis collectis v. 6-8; *tertio die*, 1) terram ſiccam ſeparauit a mari v. 9. 10. 2) plantas et arbores e terra prodire iuſſit v. 11-13; *quarto die* effecit, vt ſol interdiu, luna et reliqua coeli aſtra nocte claro ſplenderent lumine v. 14-19. Eadem enim ratione, qua terra euaſit cultior, etiam horum coeli corporum nitor eſt auctus; *quinto die* procreauit piſces et aues v. 20-23 et *ſexto die* terrae animalia bruta et homines formauit v. 24-31. *Septimo die* quieuit ab omni opere Gen. II, 2. 3. i. e. ceſſauit a nouis rebus procreandis, eundem diem ſanctificauit i. e. ſui cultui inter Iſraelitas deſtinauit. Reſpicit enim Moſes ad praeceptum Iſraelitis datum de hoc die in honorem Dei celebrando Exodi XX, 8-11.

Diui-

Diuina approbatioue carere opus ſecundi diei, duplici autem gaudere opus diei tertii videtur; ſed niſi dicere velimus, verba verſus 10 *et vidit Deus, quod bonum eſſet*, alieno loco poſita eſſe, ideo approbatio ſecundo diei debita, tertio demum die poſt finitam aquarum ſeparationem, ſecundo die coeptam, additur, quia pars operis tertii diei erat operis ſecundi diei continuatio: altera vero approbatio ad operis diei tertii partem alteram tantum refertur. Omnium brutorum animantium in hac creationis hiſtoria quatuor conſtituuntur genera, quae ſunt: 1) *piſces*, 2) *aues*, 3) *quadrupedes*, 4) *reptilia* cum *inſectis*, de quibus videatur BOCHARTI *Hierozoici* Pars I. Lib. I. c. 1. Formatio primi hominum paris primo breuius Gen. I, 26. 27. deinde c. II, 7. 21. 22 paulo latius et diſtinctius deſcribitur. Varias veterum de hominum ortu opiniones recenſui in *Diſſertatione de origine generis humani*, Halae 1759, 4. Sententiam ISAACI PEYRERII, qui Adamum non hominum, ſed tantum Iudaeorum primum fuiſſe patrem, aliis perſuadere voluit, multis refutat GVIL. SALDENVS in *exercitatione de Praeadamitis*, quae eſt quinta libri primi *otiorum* eius *theologicorum* p. 59 ſeqq.

§. CXXXVI.

Quaecunque ſana ratio de mundi ortu eiusque ad Deum relatione docet (§. XXVII.), Scriptura ſacra confirmat. Ex illa enim diſcimus, Deum verbo ſuo i. e. iuſſu et libera voluntate hunc mundum condidiſſe Pſ. XXXIII, 6. Rom. XI, 36. Hebr. XI, 3. mundum a Deo vt opus ab opifice diſtinctum eſſe Pſ. CII, 29. Act. XVII, 24. eum eſſe optimum omnium, qui fieri potuerunt

runt (§. XXXVIII.) Gen. I, 31. ex illo tanquam ſpeculo Dei perfectiones, inprimis potentiam, ſapientiam et bonitatem eius, clariſſime poſſe perſpici (§. XXXIV ſcholion) Pſ. XIX, 2-4. CIV, 24. Rom. I, 20. ſupremum omnium rerum, quas Deus fecit, finem eſſe ipſius gloriam et cum illa coniunctam entium intelligentium felicitatem (§. XXXVIII.) Pſ. CXLV, 9. Prou. XVI, 4. Rom. XI, 36. Apoc. IV, 11. In iis autem, quae praeterea de rebus a Deo creatis Scriptura ſacra tradit, non repugnat iis, quae ex attenta vniuerſi huius conſideratione nobis ſunt perſpicua.

§. CXXXVII.

Creatio diſtinguitur in *primam* ſiue *immediatam*, qua materia huius mundi eſt producta, et in *ſecundam* ſiue *mediatam*, qua ope motus et accedente vi diuina rerum huius mundi formae originem ceperunt. *Creationem mundi ex nihilo*, quam recte intellectam ſana ratio probet neceſſe eſt (§. XXXVII.), ex quibusdam Scripturae ſacrae locis colligere poſſumus Rom. IV, 17. Hebr XI, 3. Eam quoque veterem eccleſiam iudaicam credidiſſe, ex 2 Maccab. VII. 28 apparet. His locis in ſubſidium vocatis, verba prima hiſtoriae creationis: *in principio creauit Deus coelum et terram*, non ſine cauſa de creatione ex nihilo, et quae de ſex diebus, quibus ea, quae cernuntur, facta ſunt, adduntur, de creatione mediata explicantur. Confitendum autem eſt, vocabulum hebraeum בָּרָא, quod proprie ſignificat, formauit, non ſufficere ad creationem ex nihilo adſtruendam.

Quando dicimus, Deum materiam huius mundi ex nihilo procreaſſe, hoc volumus, eum ſummae ſuae potentiae vi feciſſe res, quibus hic mundus continetur, cum antea non eſſent. Vulgo dicta: ex nihilo nihil fit, nihil poteſt eſſe ſine aliqua cauſa,

non ideo negantur; etiam physice ex nihilo nihil oriri potest. Nonnulli doctrinam de creatione ex nihilo primis religionis christianae temporibus incognitam et demum a Scholasticis inuentam fuisse existimant; PAVL. ERN. IABLONSKI autem in *Dissert. de creatione ex nihilo*, thesi 16. *non leuem eos in historia ecclesiastica imperitiam prodere* inquit, *qui hanc fouent sententiam.* Eos quoque errare, qui in dictis quibusdam veterum philosophorum gentilium doctrinam hanc inuenire voluerunt, docte ostendit IOH. LAVR. MOSHEMIVS in *Dissert. de creatione ex nihilo*, quae exstat in RVD. CVDWORTHI *Systemate intellectuali huius vniuersi* ab ipso latine verso p. 957. seqq. Cum tanquam certum ponerent philosophi illi:

Nullam rem e nihilo gigni diuinitus vnquam

vt LVCRETIVS Lib. I. v. 151. ait, materiam huius vniuersi ab aeterno fuisse, sibi persuaserunt.

§. CXXXVIII.

Mundum non ab aeterno, sed in tempore creatum esse, tam ex historia creationis et inde deducta Chronologia biblica, quam ex illis Scripturae sacrae locis, in quibus Deus ante mundum fuisse dicitur, vti Ps. XC, 2. Prou. VIII, 22-30. Ies. XLIII, 13. patet. Si autem quaeritur: *annon Deus mundum ab aeterno potuerit creare?* nihil obstare videtur, quo minus aeternae mundi creationis possibilitatem largiamur; quamuis contrariae sententiae multi sint fautores. Solet etiam in disceptationem vocari, *quaenam prima in paradiso post consummatam creationem anni fuerit tempestas?* aliis pro vere, aliis pro autumno et quidem maiori probabilitate certantibus.

Praeter eos inter veteres, qui tantum materiam, ex qua mundus conſtat, aeternam eſſe putauerunt, nonnulli etiam huius mundi formam, licet ſemper in quibusdam mutabilem, omni carere initio, ſunt tuiti; horum et illorum opiniones exponuntur in *hiſtoriae vniuerſalis* ex anglico ſermone in germanicum translatae Tomo I. introductionis c. 1. et 2. pag. 7 ſeqq. Aeternam mundi creationem ipſam ſibi repugnare, inter alios contendit IO. ERN. SCHVBERTVS in *Diſſert. de impoſſibilitate mundi aeterni*, Ienae 1741. In quaeſtionem: quaenam poſt creationem in paradiſo prima anni fuerit tempeſtas? diligenter inquirit GVIL. SALDENVS in *exercitatione de mundi natali*, quae eſt prima Libri II. *otiorum* eius *theologic.* p. 23 ſeqq.

§. CXXXIX.

Plura iam habemus ſubſidia ad mundum et ex illo Deum rectius cognoſcendum, quam veteres habuerunt. Debemus illa quibusdam recentiorum inuentis et continuis atque intenſioribus multorum ſtudiis, quibus ſcientia rerum naturalium et aſtronomia magna ceperunt incrementa. His adiuti formare nobis huius vniuerſi notionem poſſumus, maieſtate diuina dignam, ſi ſpatium immenſum, quod innumera eaque ingentia corpora, partim lucida, quae ſtellas fixas vocamus et quae tot ſunt ſoles, partim opaca, quae ſunt vel planetae, vel cometae, et quae a prioribus lucem ſuam mutuantur et circa illa definitis mouentur viis, in ſe continet, attentiori conſideramus animo. Etiam quae orbi terrarum, qui nobis quidem magnus videtur, qui tamen ad reliquum mundi ſpatium relatus puncti inſtar eſt habendus, inſunt, accuratiori examine inſtituto, melius ſunt per-

ſpecta, quam antiquis temporibus, vt pluribus documentis nunc euinci poſſit, Deum aeque admirabilem eſſe in paruis ac in magnis. Quamuis fatendum ſit, nos maximam partem operum Dei ignorare, nec facile vnquam in naturae interiora penetraturos et totam vniuerſi harmoniam mente comprehenſuros eſſe; ſi quis tamen praecipua, quae in ſcientia hac vtiliſſima ingenii humani ſagacitate ſunt detecta, addiſcere ſtudet et in perquirendis rerum naturalium affectionibus et cauſis, quantum valet, vlterius progreditur, non ſolum a variis ſuperſtitionis generibus ſibi cauebit, ſed etiam nouam ſemper habebit materiam, ſummi Numinis infinitam laudibus celebrandi potentiam, bonitatem et ſapientiam, quae ex omnibus, quae fecit, clariſſime elucent.

Syſtema Copernicanum, cui maxime innititur aſtronomia recentiorum reformata, non poſſe dictis quibusdam biblicis, vti nonnullis eſt viſum, refelli, inter alios DERHAMVS in *Aſtrotheologia* pluribus exquiſitis rationibus docet. Scripta, in quibus res phyſicae et aſtronomicae in ſacris litteris occurrentes collectae ſunt et illuſtratae, laudantur in *Encyclopaedia* noſtra *theologica* §. CCCXV et CCCXXXIV. Cum Scriptura ſacra de rebus phyſicis et aſtronomicis non niſi in tranſitu et fere ſemper populari ratione loquitur, male agunt illi, qui ex ea, quid de his rebus definiendum ſit, demonſtrare volunt (§. LXXIV. n. 5.).

§. CXL.

Vt tantum in generalioribus ſubſiſtamus, in mundi conſideratione ſingularem noſtram attentionem merentur: 1) *magnitudo operum Dei*; nam huius vniuerſi limites vix concipere licet et in eo tam ſtellae fixae, quam planetae et cometae tantae ſunt molis, vt tellus noſtra cum

illis

illis comparata valde parua esse videatur; 2) *eorum multitudo et varietas:* nemo enim stellarum fixarum aliorumque coeli corporum, omnium a se inuicem summopere diuersorum, numerum inire potest. In tellure nostra et in hominum ac animantium brutorum, arborum, plantarum, mineralium aliarumque rerum, quas profert et fouet, genere vnumquodque alteri est dissimile; licet ob quandam similitudinem omnia ad certas classes, genera et species numero plures referri possint; 3) *eorum praestantia:* nam quaeuis res, a natura producta, omnia ea in se habet, quae ad finem, cui inseruiat, requiruntur eaque gaudet perfectione, vt eam nulla hominum ars imitari possit. Vincit quidem aliud rerum genus aliud dignitate et propriis quibusdam excellit virtutibus, quae alteri desunt; nullum tamen earum iis caret, quae ipsi sunt necessariae: sic vel minimum animalculum iis instructum est membris et armis, quibus ad sui conseruationem ad certum tempus indiget; 4) *eorum ordo,* quem animaduertimus tam in corporum coelestium situ et motu, quam in omnibus rerum huius terrae mutationibus, certis legibus adstrictis, earumque collocatione, distributione, successione, maiori vel minori abundantia, duratione. Alia sunt praescripta spiritibus, alia brutis animantibus, alia reliquis rebus vel vita praeditis, vel illa destitutis. Quin in iis, quae plerisque perturbata et confusa esse videntur, ordo quidam locum habet, quem hi tantum obseruant, qui longo vsu eius perceperunt regulas; 5) *mutuus eorum nexus et consensus,* qui tam in rebus coelestibus, quam terrestribus, tam spiritualibus, quam corporeis est conspicuus. In coelo nempe sol vim suam exserit in planetas ipsum circumeuntes, qui ab illo reguntur, illuminantur et fouentur. Eodem modo stellae fixae agunt in planetas, chorum quasi circum se ducentes. Ipsae autem inter se et cum sole no-

ſtro mutua ſocietate cohaerent. Terra noſtra omnem ſuum vigorem acceptum refert ſoli, cuius calore vapores e mari, fluminibus et aliis locis madidis in altum aſcendunt et in nubes conuertuntur, quae emittunt pluuias, quibus terra apta redditur ad progerminanda gramina, fruges et fructus in hominum et reliquorum animantium alimentum. Quiduis alterius inſeruit commodis ſuumque aliis rebus, quae etiam aliarum ſunt cauſa, praebet vſum. Homines, qui nunc viuunt, quibusdam quaſi vinculis non ſolum inter ſe, ſed etiam cum maioribus ſuis et poſteritate ſunt coniuncti. Quamuis nexus inter res longe a ſe inuicem diſſitas plerumque valde ſit exiguus, imo interdum infinite paruus, ex illo tamen recte conficitur, mundum totum quiddam conſtituere, cuius omnes partes ad eundem conſpirent finem (Confer. §. XXX.)

§. CXLI.

Praeter homines et Deum adhuc alias ſubſtantias intelligentes eſſe, ex varietate operum Dei, ex nobis cognita corporum coeli maiorum, inprimis planetarum, orbi terrarum valde ſimilium, conditione et ex ſupremo creationis fine ratione maxime probabili colligitur, quamuis, quaenam earum ſit natura, nos lateat. Quae autem Scriptura ſacra de *angelis*, ſiue ſpiritibus a Deo et homine diſtinctis, memorat, ſoli debemus reuelationi. Vocabulum hebraeum מַלְאָךְ et graecum ἄγγελος proprie notat *nuntium* ſiue *legatum*. Gen. XXXII, 3. Lucae VII, 24. Iac. II, 25. Tribuitur autem nomen angeli; 1) *filio Dei* Iobi XXXIII, 23. Malach. III, 1; 2) *prophetis et aliis eccleſiae doctoribus* Malach. II, 7. Apocal. I, 20 (1 Tim. V, 21) nec non praecurſori Chriſti, Iohanni baptiſtae Mal. III, 1 coll. Math. XI, 10; 3) *variis rebus naturalibus, quibus Deus ad voluntatem*

ſuam

ſuam exſequendam vtitur Pſ. CIV, 4. Ieſ. XXXVII, 36. Ioh. V, 4. Act. XII, 23; 4) ſaepiſſime angeli vocantur *ſubſtantiae quaedam ratione praeditae, gradus quam homines altioris*, quarum proprietates, viſae ſpecies et operationes in pluribus Scripturae ſacrae locis deſcribuntur. Eſt autem doctrina de angelis pars veteris theologiae iudaicae, in quam multa ex antiqua philoſophia orientali deriuata eſſe videntur. Quaedam etiam de angelis dicuntur more poetico, vt in Iobo et pſalmis nonnullis; quae tamen non impediunt, quo minus clara Scripturae ſacrae de angelis teſtimonia firma teneamus fide. Qua ratione Sadducaei, quos Actor. XXIII, 8 legimus, eſſe angelos negaſſe, loca Vet. Teſtamenti de angelis agentia explicuerint, incertum eſt. Inter recentiores HOBBESIVS et alii quidam omnia, quae de angelis in Scriptura ſacra narrantur, ad mythologiam iudaicam retulerunt.

De *incolis planetarum ratione praeditis* doctum ſcripſit librum CHRISTIANVS HVGENIVS, cuius titulus eſt: Κοσμοθεωρὸς, ſiue *de terris coeleſtibus earumque ornatu coniecturae*. Hagae Comit. 1699. 4. Idem argumentum perſequitur FONTENELLIVS in libro gallico de *pluribus mundis*. Quidnam eccleſiae patres de angelis ſtatuerint, exponunt PETAVIVS in Tomo tertio *dogmatum theologicorum* et SVICERVS in *theſauro eccleſiaſtico* ſub voce ἄγγελος. Pleraque de angelis notanda collegerunt et petractarunt IACOB. ODE in *Commentario de angelis*. Traiecti ad Rhenum 1739. 4. et IOH. FRID. COTTA in *Diſſertatione hiſtoriam ſuccinctam dogmatis theologici de angelis exhibente*. Tubingae 1765 et in *hiſtoria ſuccincta dogmatis theolog. de angelis continuata*. ibid. 1766.

§. CXLII.

Quia nulla diserta *creationis angelorum* a Mose facta est mentio, iam olim de tempore, quo conditi sint, non eadem omnibus fuit sententia; etiam nunc in diuersa plerumque abeunt, qui hanc tractant quaestionem. Haud pauci ex ecclesiae patribus ortum angelorum mundi natales longe antecessisse sunt rati; aliis vero primo; aliis autem secundo creationis die, eos originem cepisse est visum. Fuerunt denique iam Augustini aeuo quidam, qui demum, finita totius mundi visibilis creatione, angelos diuinae potentiae vi prodiisse adsererent. Plerique hodie amplectuntur sententiam, qua angelorum creatio primo die facta esse ponitur, quam confirmare student Iobi XXXVIII, 4. 7. vbi filii Dei i. e. angeli creatorem suum celebrasse dicuntur, cum terra fundaretur i. e. secundo die creationis; vnde cogunt, eos iam antea fuisse et primo creationis die coepisse exsistere. Sed quia hic locus etiam aliter explicari potest, vti nonnulli fecerunt, eum non satis firmum huius sententiae praesidium esse putamus. Quoniam etiam reliquae opiniones hic memoratae non sunt probabiliores, rem in medio relinquimus.

Pluribus de *creatione angelorum* agit SALDENVS in *otiis theologicis* Libr. III. exercitatione IV. p. 479 seqq. Confer. etiam ad paragraphum praecedentem laudata COTTAE *Dissert prior de angelis* p. 13 seqq.

§. CXLIII.

Quaeri quoque solet., *vtrum angeli meri sint spiritus, an vero corpore quodam, saltem subtiliori, gaudeant?* Qui prius tenent, praecipue prouocant ad ea Scripturae s. loca, in quibus angeli dicuntur spiritus Matth. XII, 43. Hebr. I, 14; qui autem posterius probant, partim aliis scripturae s. vtuntur locis, quae indicare

care videntur, naturam angelorum non omnis corporis esse expertem Matth. XXII, 30. Lucae XX, 36, quo etiam referunt, quod linguae angelorum meminit Paulus 1 Cor. XIII, 1. et quod Stephani facies tanquam angelica describitur Act. VI, 15: partim adhibent rationes philosophicas ad sententiam suam probandam. Nisi enim angeli corpore quodam essent praediti, existimant, fieri non posse, vt res huius mundi percipiant, aut vim suam in quaedam exserant corpora. Addunt denique, plerosque ecclesiae patres eiusdem fuisse opinionis, inprimis qui Platonis de geniis placita ad angelos accommodauerint. Quaedam ex his rationibus, maxime philosophicae, quae pro posteriori sententia adducuntur, eam valde reddunt probabilem; quo factum est, vt multi e recentioribus theologis eam alteri praeferrent.

Longam de hac quaestione instituit disputationem ODE in *Commentario de angelis* Sect. III. cap. 1. cum quo coniungantur CVDWORTHVS in *Systemate intellectuali* cap. V. sect. III. §. 16-40. et COTTA in *Dissert. priori de angelis* p. 26. seqq. Ex instituto corpora angelorum adsertum iuerunt IOH. CHRIST. LOERSIVS in Dissert. de *angelorum corporibus.* Duisburgi 1719, recusa Vltraiecti 1723. et iterum 1737. ALEX. GOTTLIEB BAVMGARTEN in *disputatione de existentia corporum angelicorum.* Francofurti ad Viadrum 1741. et PETRVS IANSSEN in libello, qui inscribitur: *Corpora angelorum ex Lucae* XX, 27-39. *mero in die collocata, contraque virorum celeberrimorum, Viti, Moshemii, Odei, oppugnationes defensa.* Lugd. Bat. 1767. Dubia, quae contra Loersium protulit STEPH. VITVS, exstant in *Bibliothecae Bremens.* Cl. VI. p. 418. seqq. MOSHEMIVS in *notis ad Cudworthum*

et ODE in libro paulo ante citato quaedam etiam contra eum monuerunt.

§. CXLIV.

Angeli diſtinguuntur in *bonos* et *malos*. *Boni* ſunt, qui in primo felicitatis ſuae ſtatu permanſerunt et in voluntate Dei exſequenda omnem ponunt operam; *mali* autem dicuntur, qui in Deum rebelles facti ſua culpa in magnam prolapſi ſunt miſeriam. Quodnam autem eorum *primum* fuerit *peccatum*, ob Scripturae ſacrae de eo ſilentium valde eſt incertum. Ex quibusdam tamen locis, nempe Ioh. VIII, 44. 2 Petri II, 4. Iudae v. 6. (Ieſ. XIV, 12. 1 Tim. III, 16.) variae formatae ſunt coniecturae de lapſus angelorum malorum cauſa, quam alii ſuperbiam, alii inuidiam fuiſſe et quidem vtramque vel ex hac vel illa ratione ortam arbitrantur.

Diuerſas de lapſu malorum angelorum opiniones theologorum exponunt SALDENVS in *Otiis theologicis* Lib. III. exercitat. VIII. ODE in *commentario de angelis* ſect. IV. cap. 2. et COTTA in *Diſſert. poſteriori de angelis* pag. 3. ſeqq. BRYANVS TVRNERVS in *Tentamine de primi peccati introitu, ſiue de lapſu angelorum et hominum*, Londini 1691, e Iudae v. 6. euincere ſtuduit, genios illos, qui lapſi ſunt, imperium aliquod in reliquos ſibi vindicatum iuiſſe.

§. CXLV.

Angeli boni, qui etiam dicuntur *ſancti* Matth. XXV, 31. *electi* 1 Tim. V, 21. *lucis* 2 Cor. XI, 14, *filii Dei* Iobi I, 6, *exercitus coeleſtis* Lucae II, 13, deſcribuntur vt Dei miniſtri, throno eius aſſiſtentes, ad mandata eius perficienda parati Ieſ. VI, 1-3. Matth. XVIII, 10. Hebr. I, 14. Eorum praedicatur 1) *ſcientia* 2 Sam. XIV,

XIV, 20. 1 Cor. XIII, 1. quae tamen certis circumscripta est limitibus Marci XIII, 32 et maiora in dies capere potest incrementa 2 Petri I, 12. 2) *Sanctitas;* faciunt enim non nisi quae Deo placeant Matth. VI, 10. et vti omni bono, sic etiam hominis peccatoris conuersione delectantur Lucae XV, 10. hinc appellantur sancti Matth. XXV, 31. 3) *Potentia* Ps. CIII, 20. 2 Thess. I, 7, quam plane insignem esse, ex quibusdam eorum factis colligere licet Matth. XXVIII, 2. Act. XII, 7. 10. Cauendum tamen est, ne quaeuis ab angelis effecta proprie intelligamus et ne vim eorum augeamus supra modum. 4) *Agilitas* et *celeritas in iussis diuinis peragendis;* ideo illis alae tribuuntur Ies. VI, 2. Dan. IX, 21. iique cum ventis comparantur Hebr. I, 7. Tanquam fideles Dei ministri in gloria eius promouenda omne suum ponunt studium; hinc fit, vt alacres sint in sibi commissis negotiis exsequendis Ps. CIII, 20, vt nomen Dei celebrent Ies. VI, 2. 3. Lucae II, 13. 14. vt piorum prospiciant commodis Lucae XVI, 22. Hebr. I, 14. Quanta veneratione Christum, dominum suum Hebr. I, 6 et hominum seruatorem sint prosecuti, ex pluribus historiae euangelicae locis apparet. Ob suam in recti studio constantiam magna et perpetua fruuntur felicitate Matth. XVIII, 10. Lucae XX, 36. Haud paruum bonorum angelorum *numerum* esse, Christus Matth. XXVI, 53. innuit idemque Hebr. XII, 22. confirmatur. Certum quoque inter eos *ordinem* locum habere, dubio caret; quae autem Iudaei de decem angelorum classibus et Christiani quidam ex scriptis Dionysii Areopagitae de hierarchia coelesti protulerunt, figmentis sunt adnumeranda. Ex falsa de angelis, telluris huius regionum et hominum singulorum tutelaribus, opinione cultus eorum religiosus, qui nullo modo defendi potest, sensim natus esse videtur.

Non DIONYSIVM AREOPAGITAM, cuius Act. XVII, 34. fit mentio, autorem esse scriptorum, quae eius prae se ferunt nomen, sed alium quendam, qui vel quarto vel quinto vixit seculo, extra dubium posuerunt IOH. LAVNOIVS in *Opusculis variis de duobus Dionysiis, Atheniensi et Parisiensi.* Parisiis 1660. 8. et IOH. DALLAEVS in *Libris duobus de scriptis, quae sub Dionysii Areopagitae et Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur.* Geneuae 1666. 4. Quod singulae orbis terrarum regiones alicuius angeli praesidio subsint, fere omnes ecclesiae patres pro certo habuerunt, decepti graeca LXX Interpretum versione Deut. XXXII, 8, in qua verba hebraea יצב גבלות עמים למספר בני ישראל reddita sunt: ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεȣ̃. Opinionis huius vestigia nonnulli inuenerunt in Daniel. IX, 21. Iudaeos tempore Christi persuasione de angelis, singulorum hominum tutelaribus, imbutos fuisse, ex Act. XII, 15 satis est probabile.

§. CXLVI.

Saepe etiam *malorum angelorum* in Scriptura sacra fit mentio eorumque varia leguntur nomina; cuiusmodi sunt: *Diabolus* siue calumniator Matth. XXV, 41. Lucae VIII, 12, *Satan* i. e. aduersarius 2 Cor. XI, 14, *Belial*, quod alii vertunt nequam, alii rectius rebellis 2 Cor. VI, 15. ὁ πονηρὸς, i. e. malus Matth. XIII, 19. 1 Ioh. II, 13. 14. ὁ ἐχθρὸς i. e. aduersarius Matth. XIII, 25. 39. *serpens* et *draco* Apoc. XII, 9, quibus plerumque princeps malorum angelorum, interdum quoque aliquis ex satellitibus eius significatur. Summa vero eorum, quae de malis angelis memorantur, haec fere est: eos, quantum possint, Dei voluntati aduersari et magna hominibus

minibus nocendi flagrare cupiditate, inprimis ipsis curae fuisse, vt consiliis Dei per Christum exsequendis obsisterent. Eos non esse contemnendos hominum hostes, quia magna praediti sunt astutia 2 Cor. XI, 14, malitia Ioh. VIII, 44. et potentia 2 Petri II, 11; filium autem Dei ideo venisse, vt opera Diaboli destrueret 1 Ioh. III, 8. et ipsi omnem eriperet vim Hebr. II, 14; Diabolum quoque cum suis angelis olim supremo iudici meritas daturum esse poenas Matth. XXV, 41. Notandum vero est, quia Diabolus vt autor omnis mali moralis propter historiam lapsus primorum parentum consideratur, saepe, quae mali homines ad voluntatem eius agant Act. V, 3. 1 Petri V, 8. et morbos grauiores ac mala quaeuis, quae quis perpetiatur Lucae XIII, 16. 2 Cor. XII, 7. ipsi adscribi. Superstitioni tribuendum est, quod nonnulli Diabolum fere aeque potentem ac Deum finxerint eumque omnibus propemodum rebus immiscuerint humanis, hac repleti persuasione, eum vt quarumcunque malarum artium fabricatorem variis praestigiis olim illusisse hominibus et adhuc illudere.

Magnas Diaboli esse partes in rebus plerisque mirabilibus inter homines gestis, ex vetere et peruulgato errore multis est persuasum. Eum olim oraculis gentilium praesedisse, eum homines spectris terrere, eius ope sagas et magos perfecisse res maxime stupendas, eumque interdum habitare in corpore hominis, quem miris vexet modis, a plerisque pro certo est habitum. Ad eius vim cohibendam varia exorcismi excogitata sunt genera. Multus inprimis de Diabolo, eius dolis, insidiis et noxiis effectis sermo erat illis temporibus, quibus orbem christianum ingens peruaserat barbaries. Post ecclesiae reformationem haud paucae falsarum de Diabolo opinionum remanserunt reliquiae, quibus remouendis hoc prae-

praesertim seculo nonnulli vtilem dederunt operam; quamuis semper adhuc sint, qui pro terribili illa Diaboli potentia acriter pugnent. Tantopere iactatas tragoedias, quas malus ille genius omni tempore inter homines lusisse creditur, non nisi commenta hominum insipidorum et vanae plebis terriculamenta esse, pro viribus suis prae aliis dilucide ostendit vir doctissimus et insigni laurea decorandus, BALTHASAR BEKKERVS, in *mundo fascinato*, primum belgice edito Amstelodami 1691. 1693 et deinde in linguam germanicam atque quasdam alias translato. Si enim etiam in quibusdam errauit Bekkerus, magis tamen laudari ob ea, quae praestitit, quam ob quaedam minus recta taxari meretur. Sententiam eius de Daemoniacis, quos Christus sanauit, qua illos non a Diabolo obsessos sed vel epilepticos, vel lunaticos, vel furiosos fuisse ponitur, pluribus adhuc argumentis confirmauit Anglus quidam in Dissertatione anglice scripta de *Daemoniacis, qui in N. T. commemorantur*, cuius gallica versio cum TWELLSII monitis contra illam Lugd. Bat. 1738. 8. prodiit. Eam quoque tuiti sunt RICHARD MEAD in praefatione *Medicae* suae *sacrae*, Londini et deinde Amstelodami 1749 8. euulgatae, WETSTENIVS in *notis ad N. T.* IOH. SAL. SEMLERVS in Dissertatione theologico-hermeneutica de *Daemoniacis, quorum in euangeliis fit mentio*, Halae 1760, HVGO FARMER, cuius de hoc argumento liber ex anglico in germanicum conuersus sermonem sub hoc titulo: *Versuch über die daemonischen Leute, oder so genannten Besessenen, derer im Neuen Testament gedacht wird*, Berolini 1776. 8 euulgatus est, et plures alii. Nihil negotii Diabolo in oracu-

oraculis gentilium fuisse, sed omnia, quae de illis commemorata leguntur, e sacerdotum fraudibus explicanda esse, euicit ANT. *van* DALE in libro de *oraculis veterum Ethnicorum.* Amstel. 1700 4. cuius summam exhibet FONTENELLIVS in *Historia oraculorum*, gallico sermone conscripta et in germanicum translata. De sagis et magis confer. CONSTANTINI FRANC. *de* CAVZ de *cultibus magicis eorumque perpetuo ad Ecclesiam et Rempublicam habitu* Libri II. Vindobonae 1767 et iterum 1771. 4.

CAPVT VIII.

DE PROVIDENTIA ET DECRETIS DEI.

§. CXLVII.

Ea, quae sanae rationis ope de *prouidentia Dei* cognoscimus (§ XXXIX.), Scriptura sacra multis in locis inculcat et clariora reddit. Non solum enim in historia, quam continet, fere omnia, quae contingunt, ad Deum refert et prouidae eius curae, qua rebus huius mundi prospicit, crebriorem facit mentionem; sed etiam variis sententiis, quae tam in totius mundi, quam praecipue in rerum humanarum administratione Deus agat, valde populari exponit ratione. Describit enim Deum vt dominum et rectorem huius vniuersi omniscium, potentissimum, sapientissimum et benignissimum, in id semper intentum, vt, quae velit, ad nutum suum fiant, vt ordo a se constitutus conseruetur et cuncta conspirent ad maiorem huius vniuersi perfectionem promouendam Ps. XXXIII, 8-15. CIV, 1 seqq. Matth. VI, 25-32. c. X, 29-31.

29-31. Act. XVII, 24. 28. Rom. XI, 36. Est autem doctrina de prouidentia diuina vna e grauissimis et maximi momenti ad pietatis studium excitandum et alendum, eademque plena consolationis iis, qui semper id agunt, vt vitam suam ad dei componant voluntatem.

Praeter SAM. PARKERI *Disputationes de Deo et prouidentia diuina*, quarum iam supra (in scholio ad §. XXX.) meminimus, consuli hic cum fructu potest RICHARDI PRICEI *Dissertatio de prouidentia*, anglice scripta et cum tribus aliis dissertationibus eius in germanicam linguam versa. Lipsiae 1774. 8

§. CXLVIII.

Prouidentia Dei non solum est *generalis*, qua legibus quibusdam vniuersalibus prouidet, ne totius mundi concentus turbetur; sed etiam *specialis*, qua singulis prospicit rebus et etiam ea, quae nobis videntur parua et minoris momenti esse, non negligit, id quod ex locis Scripturae sacrae, §. praecedenti adductis, satis elucet. Sunt tamen nonnulli, qui vel omnem prouidentiam, vel saltem specialem, negent. Qui totum mundum prouidentiae diuinae subtrahere volunt, his fere vtuntur rationibus: 1) eam minime necessariam esse existimant, quia res huius vniuersi ita sunt constitutae, vt conseruatore, perpetuo inspectore et rectore non indigeant; 2) curam eiusmodi tam late diffusam et continuam cum multis coniunctam futuram esse molestiis, quae in Deum beatissimum minime caderent, arbitrantur; 3) mundum nulla regi prouidentia vel ex eo perspici posse contendunt; quia, si ea locum haberet, multa non fierent, quae nunc fiunt, magnam in rebus humanis cerni confusionem, saepe optimum quemque aduersa premi fortuna et ob improborum malitiam miseram agere vitam, contra malis interdum

omnia

omnia ex votis fluere et eos magna gaudere felicitate. Quamuis dubia haec quandam veri habeant ſpeciem, non tamen tanti ſunt ponderis, vt firmam eius de prouidentia diuina perſuaſionem conuellere poſſint, qui et Dei et mundi penitus conſiderauerit naturam et ea, quae fiunt, non ex vulgi opinione, ſed ſecundum rectam rationem, diiudicare didicerit. Nouit enim, mundum, vti non a ſe initium coepit, ſic per ſe ſubſiſtere non poſſe; Deum infinita ſua ſcientia et potentia rerum omnium adminiſtrationi ſine vlla defatigatione et moleſta cura parem eſſe; conf. Ieſ. XL, 28; nec, quae in humanis ac reliquis huius mundi rebus confuſa atque perturbata eſſe videntur, debito carere ordine; nec, quae de crebriori bonorum miſeria ac malorum felicitate plerumque dici ſolent, in omnibus vera eſſe; e diuerſo et piorum et impiorum, vel hac vita durante, fata plerumque prouidentiam diuinam magis confirmare, quam labefactare, ſi vero quid in his cum illa conciliari nequeat, ad vitam poſt mortem futuram recurrendum eſſe. Ad vltimum dubium remouendum facit totus Pſ. LXXIII.

§. CXLIX.

Qui prouidentiam quidem generalem concedunt, ſed *particularem impugnant*, cauſantur: 1) Deum per regulas motus, quibus corpora parent et leges quasdam, ſpiritibus praeſcriptas, imperium ſuum in totum exercere mundum et efficere, vt omnia ad lubitum ſuum fiant, nec ordinem ab ipſo iam ſtabilitum permittere, vt ab illo recedat et incommodis, ſi qua ex diuerſarum regularum colliſione oriantur, per miraculum medeatur; 2) non decere Deum rerum minimarum curam et infra ſummam eius dignitatem eſſe, ad humiliora ſe demittere. Qui autem hanc amplectuntur ſententiam, non perpendunt, leges naturae generales ſapientiſſimum habere autorem,

qui omnia, quae contingere possunt, praeuidit et qui talem rerum fecit nexum, vt omnium et singularum ratio sit habita, qui etiam, si opus sit, vi supernaturali ea, quae fini suo obstent, tollere valeat; deinde quae ipsi minima et humilia dicunt, cum ad rerum vniuersitatem pertinent, etiam suum habent vsum et saepe maximarum mutationum sunt causae, non ergo contemnenda sunt illi, qui conseruationi et regimini mundi praeest.

Inter ecclesiae patres HIERONYMVS in *Commentario* suo *ad Habacuci* I, 14 prouidentiam particularem Deo indignam esse iudicauit. Non autem locus ille, nec 1 Cor. IX, 10, si recte intelligantur, aliquid continent, quod huic contrarium sit prouidentiae.

§. CL.

Complectitur prouidentia diuina: 1) *conseruationem*, qua vult, vt res creatae perdurent i. e. exsistere pergant Act. XVII, 28. Rom. XI, 36. Hebr. I, 3. Cum enim mundus sit speculum perfectionum suarum, nunquam permittet, vt vel totus, vel pars eius, corrumpatur et ad nihilum redigatur. Consulit autem integritati et perpetuo vigori mundi, partim cum rerum elementa, siue simplicia, ex quibus omnia constant, semper esse iubet, partim cum totius naturae vires nec decrescere et imminui, nec plane perire, patitur. Conseruatio naturae virium, quam *concursum* dicunt, solet a nonnullis, vt separata quaedam prouidentiae diuinae pars, considerari; quod tamen non opus est, quia sub generali conseruatione comprehenditur. Bene autem *materiale* a *formali actionis* distinguitur et tantum ad illud, non ad hoc, concurrere Deus ponitur; quod discrimen maxime in libere agentibus attendendum est, ne malum, ab illis commissum, Deo tanquam autori adscribatur. 2) *Gubernationem*, qua omnes rerum huius mundi mutationes ita dirigit, vt cum fine summo, quem

quem sibi proposuit, consentiant Prou. XVI, 4. Rom. XI, 36. Est autem gubernatio Dei vel *ordinaria*, vel *extraordinaria.* Illa in eo spectatur, 1) quod omnibus rebus tam corporeis, quam spiritualibus, tam vita carentibus, quam viuis, tam brutis animantibus, quam hominibus certas praescripsit leges, quibus totius mundi ordo continetur; 2) quod tam ea, quae simul sunt, quam quae se inuicem consequuntur, ita inter se coniunxit, vt quaeuis, quae contingant, sapientissimis suis respondeant consiliis. Haec tunc demum locum habet, cum miraculum (§. XLI.) ipsi adhibendum esse videtur ad negotium quoddam intricatissimum expediendum. De miraculis vero valet illud HORATII: *nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus.* Contenti etiam, qui sapiunt, sunt prouidentia Dei ordinaria, nec vnquam, nostris quidem temporibus, extraordinariam exspectant.

Dicunt nonnulli conseruationem *continuatam creationem;* quia autem haec loquendi ratio valde est ambigua, eam alii non nisi sensu improprio tolerandam esse existimant. In *concursu Dei* explicando facile errari potest, si vel Deus vt vnica et immediata omnium, quae in mundo peraguntur, caussa consideretur, vel si tantum ea, quae fiunt, non impedire existimetur. Prius, saltem quod ad hominum actiones spectat, Cartesianis placuit; posterius DVRANDVS *a* S. PORCIANO defendisse dicitur, quem tamen, male intellectum, falso erroris huius accusatum esse LAVNOIVS contendit.

§. CLI.

Gubernationi Dei subsunt: 1) corpora huius mundi maiora et in his orbis terrarum, quem habitamus, quorum conseruatio mediata ab ipso pendet Ps. XIX, 1-7. LXXII, 17. LXXIV, 16. 17. CIV, 5. Ies. XL,

 20.

20. Ier. XXXIII, 20. 2) Ea, qnae illis insunt, et extra ea cum illis per aetherem ambientem cohaerent. Eius enim prouidae curae tribuendum est, quod genera rerum permaneant et quod omnia ea, quae ad vitam brutorum animantium et hominum per certum tempus sustentandam requirantur, nostra proferat terra Ps. CIV, 8-30. Matth. VI, 26-30. Inprimis si ad res humanas respicimus, varia gubernationis diuinae se produnt specimina tam in iis, quae pluribus hominibus, secum inuicem societate ciuili coniunctis, quam singulis contingunt. Deus enim, vt rex regnantium et dominus dominantium, regnorum et rerum publicarum vicissitudines, regum consilia, belli et pacis tempora, magistratuum potestatem, diuersos ciuium ordines manu moderatur inuisibili Prou. XXI, 1. Ps. XLVI, 10. CXLVII, 14. Rom. XIII, 1. Prou. XXII, 2. Idem cuiusuis hominis natiuitatem, fata et vitae terminum ordinat, quamuis in omnibus his nulla locum habeat absoluta necessitas Ps. CXXXIX, 14-16. XC, 3. 10. Iobi XIV, 5; quin, quae maxime fortuita esse videntur, sors et omnes fortunae secundae et aduersae casus sapientissimo eius reguntur consilio Deut. XXX, 9. Prou. XVI, 33. Amosi III, 6.

§. CLII.

Vti prouidentiam diuinam omnia, quae in mundo praeclara et vtilitatis plena animaduertuntur, demonstrant et illustrant; sic multa, quae pluribus rebus insunt et quibus praecipue homines affliguntur, mala eam haud parum obscurare videntur. Si quosdam audias, nihil est tristius hoc terrarum orbe, nihil humano genere miserius; hinc fit, vt vel de prouidentia diuina dubitent, vel Deum accusent, quod tot incommodis, quae facile impedire potuisset, homines premi patiatur. Vt igitur de malis his, quae plerumque valde exaggerantur, recte

iudice-

iudicemus et, quomodo circa illa prouidentia Dei verſetur, videamus: ante omnia ipſa *malorum genera* a nobis ſunt conſideranda. Sunt autem triplicia, vel *metaphyſica*, vel *phyſica*, vel *moralia*. *Malum metaphyſicum* dicitur imperfectio quaedam, ex limitibus, quibus omnes huius mundi res ſunt circumſcriptae, orta. Hoc plane neceſſarium eſt, quia rerum finitarum eſſentia requirit, vt certus proprietatum, quibus gaudent, ſit modus. Sic corpus et animus hominis iis tantum pollent viribus et facultatibus, quae naturae eius conueniant. *Malum phyſicum* conſiſtit in triſti ſenſu, quem ex rebus nobis ingratis percipimus. Huius etiam quaedam eſt neceſſitas ex natura hominis repetenda; praeterea magnum illud habet vſum ad hominum prudentiam acuendam et virtutem exercendam. Valde quoque illud minui poſſet, ſi omnes ſuum facerent officium. Sic, quod laeſio corporis noſtri cum dolore ſit coniuncta, eo incitamur ad illud conſeruandum; ea, quibus indigemus, noſtram diligentiam et ingenii aciem intendunt; plerisque morbis et aliis moleſtiis carere poſſemus, ſi ſemper ex ſanae rationis praeſcripto viueremus. *Malum morale* vocamus liberas naturarum intelligentium actiones, legibus ipſis latis contrarias. Complectitur illud omnia, quibus homines dediti ſunt, et quibus ſibi ac aliis nocent, vitia. De eo inprimis quaeritur, annon prouidentiae diuinae repugnet, quod illud tam late graſſari patiatur? Hoc autem falſum eſſe, iam oſtendemus.

§. CLIII.

Deus, qui omne malum auerſatur Pſ. V, 5, *nullo modo, vt auctor peccati ab hominibus aut aliis ſpiritibus commiſſi, conſiderandus eſt* Iac. I, 13-15; licet illud non vi abſoluta impediat. Dedit enim illis rationem, qua bonum a malo poſſint diſtinguere, et quibusdam etiam voluntatem ſuam de iis, quae eorum ſunt of-

 ficii,

ficii, modo extraordinario reuelauit; praeterea cum malis actionibus poenas coniunxit naturales, vt eo magis quemuis a minus rectis faciendis deterreret: contra praemiis, quae virtutem et pietatem indiuulso sequuntur nexu, ad eam colendam omnes impellit. Quoniam autem multi ad mala peragenda suis abripiuntur affectibus, prauis suis cupiditatibus magis parent, quam rectae rationi et iustis praeceptis atque bona apparentia veris praeferunt bonis: Deus, qui cum illis, vt libere agentibus, agit, grauissimas ob caussas eos suo permittit arbitrio. Si enim omne nefas impedire vellet, vel homines sua libertate priuare, vel perpetuis miraculis eorum illicitos inhibere deberet conatus; quod, quia vtrumque a sapientia eius maxime est alienum, neutiquam eum facere decet. Si enim prius ponatur, libertate hominis sublata, omnis quoque tolleretur virtus, nec homo amplius homo esset; sin posterius, Deus solummodo potentiam suam, non autem reliquas, ob quas maxime venerandus est, virtutes in hominum et reliquorum spirituum regimine declararet et sui quidem timorem, non autem amorem, illis imprimeret. Iam vero gubernatione sua sapientissima malitiae prauorum, ne nimis crescat et latius vagetur, certos ponit limites; eos iustis coercet poenis eorumque noxia consilia saepe ad bonum vertit exitum; tolerat eos ad tempus, vt, si fieri possit, emendentur: non autem, si resipiscere nolint, effugient castigationes meritas, in vita post mortem futura sibi paratas Matth. V, 45. c. XIII, 28-30. Rom. II, 4-11. Si quaedam in gubernatione diuina nobis sunt comprehensu difficilia et nostrum superant captum, cogitandum est, nos omnium rerum nexum, cuius Deus semper habet rationem, perspicere et mente complecti non posse et tantos diuinae sapientiae esse recessus, vt perscrutari eos nemini liceat Ies. LV, 8. 9. Rom. XI, 33.

§. CLIV.

§. CLIV.

In mundo condendo, conseruando et gubernando Deus secutus est et adhuc sequitur *decretum* suum, siue voluntatis propositum, quod ab aeterno cepit. Nam ex infinita omnium rerum possibilium multitudine talem fecit delectum et consociationem, quam summa sua sapientia et bonitate approbauit. In hac vniuersi, quod ipsi placuit esse, delineatione maxime id spectauit, vt illud tantum, quantum fieri posset, boni et minimum mali, quod ob reliquas eius perfectiones non poterat abesse, contineret (§. XXXVIII.). Aliter autem versatur decretum Dei circa bonum, aliter circa malum; illud fouere et augere, hoc reprimere et minuere studet; illud probat, hoc tantum ob caussas grauissimas permittit (§. CLII. CLIII.). Pauca, quae in sacris litteris de decreto Dei docentur, magis comparata sunt ad animum hominis pii consolandum, quam terrendum. Quoniam vero nonnulli theologi iam longo abhinc tempore, tanquam a consiliis Dei fuissent, multa de decretis Dei definiuerunt, tam philosophia, quam quibusdam Scripturae sacrae dictis abusi, quae doctrinam hanc valde intricatam et formidinis plenam reddiderunt: magna opus est cautione, ne falsa pro veris, incerta pro certis amplectamur et ne inutilibus, de illa agitatis, quaestionibus atque inanibus dubiis, a quibusdam motis, nimium tribuamus pretium. Vti bonus ciuis non tam de arcanis regis, cui est subiectus, consiliis, quam de legibus, sibi ab illo praescriptis, est sollicitus; sic verae religionis studiosus magis cogitat de Dei voluntate, per rationem et Scripturam sacram sibi cognita, quam de abscondita, quae non nisi post rem actam detegi potest, et persuasum habet, Deum tantum bona de se decreuisse, si in omnibus officii sui partibus explendis debitam ponit operam.

§. CLV.

Vnicum tantum est *decretum* Dei, quod, quaecunque fecit et quae in hoc mundo accidunt, complectitur; potest tamen illud pro nostro considerandi modo, ratione obiectorum diuersorum, in varia *particularia* distingui, cuiusmodi sunt: decretum de homine condendo, de lapsu eius permittendo, de Christo ad salutem hominum mittendo, de gentilibus per euangelium vocandis, de iudicio extremo peragendo et alia plura. Est illud *sapientissimum*, *liberrimum*, *firmum* et *immutabile* (§. CXXII.). *Sapientissimum* illud esse, inde cognoscimus, quod omnia praeuidit, aptissima semper elegit remedia ad finem suum obtinendum et essentiae atque naturae rerum quarumcunque, in ordine huius mundi constituendo eiusque regimine, rationem habuit Ies. XXVIII, 29. Rom. XI, 33. *Libertas decreti* Dei in eo cernitur, quod in omnibus pro lubitu suo agat neque in exsequendis illis, quae sibi proposuit, ab vllo impediatur. Nihil autem ipsi lubet, nisi quod summae suae sapientiae et bonitatis regulis sit consentaneum. Quamuis enim supremus omnium rerum sit dominus, nec vlli eorum, quae agit, illi sit reddenda ratio; ipse tamen sibi legem quandam, nunquam violandam, praescripsit et semper respicit ad ea, quae perfectionibus suis debeat Ps. CXXXV, 6. Matth. XX, 15. Denique *firmum* et *immutabile* est decretum, quia nihil potest contingere, quod ea, quae semel statuit, irrita valeat reddere, et quia ipsum nunquam consilii sui poenitet 1 Sam. XV, 29. Ies. XIV, 27. c. XLVI, 10.

Qui *libertatem decreti Dei* in eo ponunt, quod ipse semper pro solo suo agat imperio et nullis, saltem non externis, in iis, quae ipsi placent, rationibus moueatur, et ideo *decretum* Dei *absolutum* esse volunt:

volunt, non confiderant, decretum Dei non futurum effe fapientiffimum, fi in eo nulla haberetur ratio eius, ad quid quaeuis res propter fuas proprietates apta effet. Nec eft, quod vereantur, ne hoc modo a rebus externis quafi fufpenfus fit Deus; nam cum voluit, vt res, quarum effentiam et naturam intellectu fuo fummo iam ab aeterno cognouit, exfifterent, etiam voluit, vt hanc fuam effentiam et naturam haberent et ipfi agerent conuenienter. Si quis ideo decretum Dei dicit *abfolutum*, quod firmum et immutabile eft, non expendere videtur, decreti diuini conftantiam non excludere conditiones, a quibus rerum pendet euentus et quas, vt certiffimas, praeuidit Deus. Illi, qui Deum non omnia praefcire eiusque *decreta tantum generalia* effe arbitrantur, in hunc non incidiffent errorem, fi ipfis fuiffet perfpectum, omnes huius mundi res, tam neceffarias, quam contingentes, propter caufas et rationes quasdam, a quibus pendent, non folum femper determinatas, fed etiam tam arcte inter fe copulatas effe, vt infinitus Dei intellectus, qui omnium rerum nouit nexum, nunquam poffit ignorare, quid in mundo, omni tempore futuro, fit euenturum.

§. CLVI.

Decretum Dei nullam effentiae et naturae rerum adfert mutationem nec *fatalem* eorum, quae fiunt, progignit *neceffitatem*. Decreuit enim Deus, vt mundus hic exfifteret, qui res diuerfae effentiae et naturae complecteretur et in quo omnia fecundum ordinem, certis naturae legibus confentaneum, fierent. Quaeuis ergo res fuam retinet effentiam et naturam ac fecundum illam agit. Alia ratio eft caufarum neceffariarum, quarum effectus vnico tan-

tum modo determinatur, alia contingentium et liberarum, quarum effectus valde potest esse diuersus. Quia autem omnes res huius mundi sunt contingentes, etiam earum mutationes non nisi contingentes esse possunt. Nulla igitur necessitas fatalis in mundo hoc locum habet. Si quaedam in rebus huius vniuersi ex causarum et rationum nexu oritur necessitas, eam tantum hypotheticam esse, satis patet. Id etiam probe tenendum est, Deum non omnia, quae decreuit, vt in se bona considerare, sed quaedam tantum *permittere* i. e. non impedire, quo minus fiant. Maxime ideo falluntur, qui vel omnem hominis libertatem decreto Dei destrui, vel studium et laborem ad bona quaedam sibi procuranda frustra ab ipso impendi, vel preces eius omni carere vtilitate, quia ea tantum fierent, quae Deus decreuit, opinantur. Deus enim in decreto suo eorum, quae homo agit et quae ipse praeuidit, semper habuit rationem; homo autem in actionibus suis instituendis non tam de decreto Dei, quod ipsi plane incognitum, quam de omni prudentia adhibenda, sollicitus esse debet. Si vero vel optimi conatus sui sperato non gaudent successu, cogitandum ipsi est, etiam bonis rebus non omne tempus esse opportunum et Deum alio modo, si officii sui semper sit memor, suis consulturum esse commodis.

Λόγον ἀργὸν vel *sophisma ignauum* i. e. errorem eorum, qui ob decretum Dei omnem suam operam inutilem esse sibi persuadent, multis taxat ORIGENES *contra* CELSVM Lib. II. p. 73. edit. Gul. Spenceri, Cantabrigiae 1658. 4.

§. CLVII.

Praedestinatio est decretum Dei de hominum post mortem futuro statu. Certum enim Deus constituit ordinem salutis, in quo homines felicitatis aeternae possint fieri

fieri participes Rom. VIII. 28-30. 1 Cor. II, 7. quam illi tantum consequuntur, qui, vt huic ordini conuenienter viuant, omnem dant operam; sua autem pereunt culpa, qui eius nullam habent rationem Ioh. III, 36. Act. XIII, 46. Distinguitur igitur praedestinatio in *electionem*, siue decretum Dei de hominum, virtutis et pietatis studiosorum, aeterna felicitate Rom. VIII, 28, 30. Ephes. I, 4. 5. et *reprobationem*, siue decretum Dei de iis, qui in improbitate sua permanserunt, olim poenis meritis afficiendis Matth. XXV, 41. 46. 2 Thess. I, 9. Nonnulli solam electionem vocant *praedestinationem*, quia Deus hominem ad pernitiem praedestinasse dici non possit, quod etiam verum est, si id ita intelligatur, ac si Deus hanc promouerit pernitiem; sed si homo eam potuit euitare et sua se culpa reddidit infelicem, non videmus, quare de poenis meritis, impiis destinatis, haec vox vsurpari non possit.

Eligere in sacris litteris saepe significat *aliquid velle, diligere, magni facere, aliquem ad certum munus aut coetum separare* Matth. XII, 18. Act. XV, 7, Iac. II, 5; hinc interdum omnes christiani vocantur *electi* Col. III, 12. 2 Tim. II, 10. 1 Petri I, 1. c. II, 9. nec *electio* semper notat decretum Dei de hominum aeterna salute, sed saepe segregationem quandam ad certum alium finem Rom. IX, 11. c. XI, 28. De *reprobatione* adhuc alia Scripturae sacrae loca a quibusdam adduci solent v. g. Prou. XVI, 4. Ioh. XII, 39. 40. Rom. IX, 22. 1 Thess. V, 9. 1 Petri II, 8. Iudae v. 4. quae autem de illa non agunt.

§. CLVIII.

Qui errores, in doctrina de praedestinatione a quibusdam commissos, euitare vult, eum et in Scriptura sacra inter-

interpretanda et in philoſophia bene verſatum eſſe oportet. Si ſolam rationem conſulimus, non facile de ſequentibus dubitabimus ſententiis: 1) Deum iudicem mundi iuſtiſſimum et aequiſſimum eſſe; 2) eum a nemine plura eſſe poſtulaturum, quam quae praeſtare potuerit; 3) nullum in vita, poſt mortem futura, fore infelicem, niſi qui in hac vita pluribus deditus fuerit vitiis et ad frugem redire noluerit; 4) omnibus hominibus patere viam ad felicitatem, ſi vero quidam in deuia, quibus in pernitiem praecipitentur, abeant, nullo modo miſeriae, in quam delabantur, culpam in Deum eſſe conferendam; 5) quamuis omne, quo homo fruitur, bonum a Deo proficiſcatur, certum tamen illius requiri ſtudium, vt eius fiat particeps. Haec omnia quibusdam Scripturae ſacrae dictis confirmari poſſunt v. g. 1) Gen. XVIII, 25. 2) Rom. II. 6. 11. 12. 3) 1 Cor. VI, 9. 10. 4) Hoſ. XIII, 9. 1 Tim. II, 4-6. Iac. I, 13-15. 5) Philip. II, 12. 13. Hebr. XII, 14. Iac. I, 17. Quodſi alia Scripturae ſacrae loca horum vnius vel alterius contrarium innuere videantur, id fit, partim quod morem loquendi hebraicum multi non intellexerunt, partim quod praeter ſermonis finem et nexum quaedam ſunt interpretati. Hoc inprimis factum eſt in explicatione capitis IX epiſtolae ad Romanos, quod proprie agit de populi iudaici deſtinatione ad veram religionem conſeruandam, non autem, vt quibusdam placet, de eius ad vitam aeternam electione. Non temere denique definiendum eſt, quid in ſalutis negotio Deus, et quid homo agat; quoniam hominis conuerſio modo Deo, modo homini tribuitur Ier. XXXI, 18. Ioel. II, 12. 13. Hominis enim eſt, omnibus iis ſubſidiis, quae Deus ipſi ad ſuam procurandam ſalutem offert, recte vti, quod ſi non facit, ipſe ſe priuat bonis, quae a Deo conſequi potuiſſet.

Doctri-

Doctrinam de praedestinatione noua collustrauit luce LEIBNITIVS in *Theodicea*. De illa etiam multo cum fructu consuli possunt GILB. BVRNETI *tractatus de praedestinatione et gratia*, qui ex eiusdem *expositione XXXIX articulorum ecclesiae anglicanae* excerptus et (a DAN. ERN. IABLONSKI) latine versus prodiit Berolini 1701. 8 et IOH. DRIEBERGE de praestinatione et gratia liber. Amstelod. 1745. 4.

§. CLIX.

Ex his, quae paragrapho praecedenti fundamenti loco posuimus, facile diiudicari poteft, quid sentiendum sit de opinione eorum, qui Deum volunt ab aeterno, solo beneplacito, nulla eorum, quae homines acturi sint, ratione habita, alios ex iis ad vitam aeternam elegisse, alios reprobauisse, siue aeternis destinauisse poenis; electis Deum gratia supernaturali et irresistibili succurrere, vt in Christum credant et in vitae sanctitate perseuerent: reprobis autem hanc negari gratiam, ideo eos verae fidei et sincerae virtutis nunquam fieri participes. Hoc qui statuunt, quia Deum voluntate antecedente omnes homines saluos fieri et Christum pro omnibus hominibus mortuum esse negant, *Particularistae* dicuntur, et pro ordine decretorum Dei, quem probant, in *Supralapsarios* et *Infralapsarios* siue *Sublapsarios*, distingui solent. Illi contra, qui gratiam Dei vniuersalem tuentur, *Vniuersalistae* vocantur, qui etiam non in omnibus inter se consentiunt; alii enim, solam fidem, angustiori sensu sumtam, quae tota sit donum Dei, praeuisam, electionis quorundam rationem et fidei defectum praeuisum, quorundam reprobationis causam fuisse, dicunt; alii vero ob fidem, latiori sensu sumtam, quae tantum ex parte sit donum Dei, quosdam, qui ea futuri sint

praediti, electos, quosdam autem eam respuentes, fuisse reprobatos affirmant, vel, vt alio modo mentem suam exprimunt, esse quasdam vitae aeternae sperandae conditiones et eos solos eius fieri compotes, qui eas impleant, eos autem, qui ad illas vitam suam non conforment, sua culpa aeternae salutis iacturam facere.

Iam antiquioribus temporibus multa, quae hominibus accidunt, nonnulli ex *fato* quodam, siue ex necessitate ineuitabili, deriuabant. In HOMERO saepe fati fit mentio, de quo tamen diuerso loquitur modo; interdum enim vel Iouem nihil contra illud facere, interdum autem quaedam praeter fatum fieri dicit. Quia vero duplex Achillis fatum esse ponit *Iliad.* I. v. 411. seqq. satis apparet, eum tantum a conditionibus quibusdam antecedentibus, quae saepe sint mutabiles, fati necessitatem deduxisse. Inter *veteres philosophos* alii consebant, omnia ita fato fieri, vt id fatum vim necessitatis afferret; alii autem sine vllo fato esse animorum motus voluntarios. Inprimis Stoici omnia fato subiiciebant. Quae de possibilibus a DIODORO disputata sint, exponit CICERO *de fato* c. 9. Veterum Iudaeorum, Christi temporibus, diuersae quoque de fato erant sententiae. Teste IOSEPHO *Antiquit. iud.* Lib. XIII. c. 5. §. 9. edit. Hauercampi T. I. p. 649. *Pharisaei dicebant, quaedam eorum, quae fiunt, non omnia, fati esse opera, esse enim et quaedam in nostra potestate, vt fiant, aut non fiant. Esseni vero omnia in fati potestate esse affirmabant, nec quidquam hominibus praeter fati decretum accidere. At Sadducaei fatum omnino tollebant, illud nihil esse existimantes, neque ista, quae hominibus eueniunt, ei accepta deberi, sed omnia etiam*

nostro

nostro arbitrio subiiciebant, adeo vt tum bonorum nobis ipsis auctores simus, tum mala nobismet per stultitiam nostram arcessamus. Confer, idem IOSEPHVS *de bello iudaico* Lib. II. c. 8. §. 14. T. II. p. 165. 166. *Ecclesiae patres* ante Augustinum, IVSTINVS MARTYR, IRENAEVS, CLEMENS ALEXANDRINVS, ORIGENES, TERTVLLIANVS, CYPRIANVS et CHRYSOSTOMVS aliquam electionis causam in homine posuerunt et libertatis eius in rebus bonis agendis agnouerunt vsum. Primus AVGVSTINVS doctrinam de decretis Dei multis inutilibus impleuit subtilitatibus, praedestinationem absolutam et nouum gratiae systema excogitauit eosque, qui illud non probarent, cum Pelagio adnumerauit haereticis. Magna eius effecit autoritas, vt ab illo tempore in ecclesia latina haec eius placita haud paucis arriserint et postea etiam inter Graecos, quorum intelligentiores Origenem sequebantur, quosdam habuerint fautores. IOH. DAMASCENVS, qui seculo VIII vixit, in suis quatuor *de orthodoxa fide* libris, nullam Pelagianorum aut Semi-Pelagianorum facit mentionem; distinguit inter praescientiam et praedestinationem, inter voluntatem Dei antecedentem et consequentem atque adserit, Deum nobis sua offerre bona, nos ea amplecti aut repudiare. Seculo IX. GODESCHALCVS, monachus primum Fuldensis, deinde Orbacensis, cum Augustini de praedestinatione sententiam probaret et primus Christum non pro omnibus hominibus, sed pro solis electis, mortuum esse contenderet, aduersarios nactus est RABANVM MAVRVM, HINCMARVM *Rhemensem*, IOHANNEM ERIGENAM *Scotum* et plures alios. *Scholastici* ratione praede-

stina-

ſtinationis in tres diuiſi fuerunt partes; eorum alii, cum GVIL. OCCAMO et GABR. BIEL facientes, Auguſtini de praedeſtinatione decreta plane repudiauerunt; iis aſſenſerunt alii, qui THOMAM AQVINATEM ſibi elegerunt ducem; alii denique IOH. DVNS *Scotum* ſecuti cauſam electionis in ſolo arbitrio Dei, reprobationis autem in hominum quorundam peruerſitate voluntaria, a Deo praeuiſa, quaerendam eſſe ſunt arbitrati. *Tempore reformationis* LVTHERVS quidem in doctrina de praedeſtinatione Auguſtino erat addictus, quod ex libro eius *de ſeruo arbitrio*, contra ERASMVM ſcripto, perſpicitur; ſed aliam deinde eccleſia, quae ab ipſo nomen habet, de electione et reprobatione hominum adoptauit ſententiam, quod nempe prior ob fidem, et poſterior ob fidei penuriam praeuiſam ſit facta. In colloquio Marpurgenſi, anno 1529 inter LVTHERVM et ZWINGLIVM inſtituto, de electione nullus erat diſſenſus. Poſtea autem, cum CALVINVS et BEZA ſuam de praedeſtinatione ſententiam expoſuiſſent, ea etiam vna ex cauſis diſſidii inter eccleſiam reformatam et Lutheranam fuit, quod tam ab vna parte, libro concordiae 1580 edito, quam ab altera, ſynodo Dordracena, anno 1618 habita, haud parum eſt auctum. Fuerunt tamen iam Caluini tempore in eccleſia reformata nonnulli, qui de praedeſtinatione aliter ac ille ſentirent; inter quos maxime SEB. CASTELLIO, cuius *de praedeſtinatione et electione* habemus *dialogos*, nominandus eſt. *Gratiam* deinde *vniuerſalem* in Belgio IAC. ARMINIVS et, qui illi adſtipulabantur, *Remonſtrantes*, in Gallia MOSES AMYRALDVS et alii quidam, in Anglia, Marchia Brandenburgica et quibusdam aliis regio-

regionibus plures theologi reformati defenderunt. In *ecclesia Romano-Catholica* quoque non inter omnes de praedestinatione conuenit. Quamuis enim Concilium Tridentinum in sessione sexta, die 13 Ianuarii 1547 acta, certam de hoc fidei articulo praescripserit formulam; eam tamen aliter interpretantur *Dominicani*, qui Augustini et Thomae Aquinatis in hac doctrina sunt asseclae, aliter *Franciscani*, qui in contraria sunt sententia. Accesserunt postea *Iesuitae* et *Iansenistae*, quorum illi Augustini de hac re decretis valde aduersati sunt, hi maxime inhaerent; vnde continuae et acerbissimae lites, ad hunc vsque diem nondum satis sopitae, originem duxerunt. Ex breui hac historia id inter alia liquet, Augustini de praedestinatione doctrinam, quasi pomum eridis fuisse, quod innumeras turbas et acerrimas in ecclesia excitauerit contentiones, quarum tunc demum erit finis, cum theologi non omnem in hac re dissensum tam grauem, vti huc vsque creditum est, existimabunt et maiorem argumentorum, quam auctoritatis, in rebus fidei examinandis habebunt rationem. Conferantur praeter scripta ad §. CLVIII. laudata, HENR. ALTINGII *Theologia historica.* Amstel. 1664. 4. cuius locus quartus de decretis Dei in genere, deque praedestinatione diuina in specie agit, IOH. IAC. HOTTINGERI *Fata doctrinae de praedestinatione et gratia Dei salutari, secunda et aduersa, inde a beato SS. Apostolorum excessu ad haec vsque tempora, in Annales digesta.* Tiguri 1727. 4. et SCIP. MAFFEI *historia theologica dogmatum et opinionum de diuina gratia, libero arbitrio et praedestinatione, quae*

viguerunt ecclesiae primis quinque seculis. Francofurti 1756. Fol. Ad haec eo melius perspicienda adhibendi quoque sunt VOSSIVS et NORISIVS in iis, quae de *Historia Pelagiana* scripserunt.

CAPVT IX.

DE HOMINVM STATV PRIMO ET INSEQVENTI, PECCATO DEPRAVATO.

§. CLX.

Deus, qui in condendo homine sibi *certum* proposuit *finem*, eum etiam aptum reddidit ad illum consequendum. Finem hunc detegere possumus, si ad naturam hominis eiusque ad Deum et res alias, cum ipso propius coniunctas, relationem attendamus. Constat homo ex animo, ratione praedito, et corpore organico. Ope rationis perspicere potest, quid sibi sit agendum, vt bonorum sibi sperandorum fiat particeps et vt iis ad felicitatem suam promouendam recte vtatur. Corporis sui viribus et artium quarundam exercitio ea sibi potest parare, quae ad vitam suam conseruandam et commodius transeundam requiruntur. Reliqua huius terrarum orbis animalia non solum ratione recte exculta, sed etiam corpore praestat; hinc certo in illa gaudet imperio et maioris, quam vllum eorum, perfectionis est capax. Nam solus in futurum fere in plerisque suis rebus prouidere, cum aliis, sui similibus, societatem perpetuam et latius patentem iungere et vnitis viribus suae et aliorum saluti prospicere, quaeuis, quae terra profert, in vsum suum con-

conuertere, bene conſtituti ordinis, quo et hominibus et brutis animantibus conſulitur, rationem habere, maiorum inuentis ad commoda ſua augenda recte vti et ſerae poſteritati factis, inuentis et conſiliis ſuis vtilis eſſe, mundum et Deum cognoſcere, ac pietatem et virtutem colere poteſt. Quo maius homo ſtudium in facultatibus ſuis perficiendis et ad rationis praeſcriptum adhibendis ponit, quo diligentior eſt in omnibus officii ſui, ſiue eorum, quae Deo, ſibi et aliis debet, partibus explendis, eo ſe reddit feliciorem et eo conuenientius viuit fini, ad quem a Deo eſt procreatus. Quoniam autem habet animam immortalem (§. XLIII-XLVI.), omni cura id ei eſt agendum, vt non ſolum in hac, ſed etiam in vita poſt mortem futura, ſibi bene ſit, et quoniam per reuelationem diuinam (§. LIX.) multa, ad veram ſuam ſalutem procurandam neceſſaria, ipſi ſunt detecta, quae alias ignoraret, eius quoque eſt, omnem dare operam, vt ex hac doctrina coeleſti in iis, quae ſibi ſunt cognitu vtilia, proficiat et vt ad eam inſtituta ſua ſemper conformet.

Confer. IOH. IOACH. SPALDING von der Beſtimmung des Menſchen, ed. ſeptima, Lipſiae 1763. 8.

§. CLXI.

Quisnam fuerit *primorum hominum ſtatus*, non niſi ex iis, quae Moſes in principio Geneſeos de eo tradit, diſcimus. Ex illis ſequentia conſtant: 1) Deum vnicum hominum par, ex quo totum genus humanum propagaretur, procreaſſe Gen. I, 27. c. II, 21-24. confer. Act. XVII, 26. 2) Hos primos homines ad imaginem Dei factos iisque imperium in huius terrae bruta animantia conceſſum eſſe Gen. I, 27. 28. 3) Eos primum in ſtatu feliciſſimo fuiſſe et in horto amoeniſſimo omnibus iis abundaſſe, quae vitam eorum beatam reddere potuiſſent

Gen. II, 8-15. 4) Eos, poſtquam contra praeceptum Dei de arboris alicuius fructu non comedendo egiſſent, varia ſibi contraxiſſe mala et e paradiſo eiectos multis, quae antea habuiſſent, bonis caruiſſe. Quoniam narratio Moſis de his, quae diximus, partim in quibusdam valde breuis, partim intellectu difficilior eſt, diuerſae a theologis excogitatae ſunt hypotheſes ad illam explanandam et illuſtrandam. Maxime autem in his cauendum eſt, ne ex praeconcepta opinione incertas quorundam coniecturas, tanquam fidei dogmata, in quibus totius cardo religionis verſetur, amplectamur et ne noſtras huius antiquae hiſtoriae interpretationes tanti faciamus, vt omnes, ab illis diſſentientes, grauiſſimi erroris reos exiſtimemus.

Quae nonnulli veteres, quorum loca in diſſertatione mea *de origine generis humani* §. XXX. adducta leguntur, de feris primorum hominum moribus et eorum cultu, a brutorum animantium haud diuerſo, memorant, de gentibus quidem quibusdam antiquioribus, quae in ſtatum feritatis ſint delapſae, non autem de primis generis humani conditoribus valent. Narrationem Moſis de primis hominibus, praeter commentatores in Geneſin, IOH. MARCKIVS in *hiſtoria paradiſi illuſtrata libris IV.* Amſtelod. 1705. 4. cum variarum quorundam de rebus Singulis opinionum recenſione explicare ſtuduit.

§. CLXII.

Quod *non plures, quam duos homines*, ex quibus reliqui originem ducerent, in rerum omnium principio condiderit Deus, ideo factum eſſe videtur, vt arctior inter omnes, communes primos parentes habentes, eſſet coniunctio et quia vnicum hominum par ſufficiebat

ad

ad propagationem reliquorum incipiendam. Magna quidem inter quaedam hominum, in longe diſſitis huius orbis partibus habitantium, genera, ratione formae, coloris, ſtaturae et totius corporis habitus, eſt diuerſitas; quae tamen, cum a climatum differentia et aliis rebus externis, vel tota, vel ſaltem maximam partem, proficiſcatur, non impedit, quo minus ex eadem ſtirpe omnes progenitos eſſe adſeramus.

Ad dubia, quae contra hanc rem a nonnullis mota ſunt, pluribus reſponſum eſt in diſſertationis meae *de origine generis humani* §. XXV. et XXVI. Confer. etiam I. A. FABRICII *Diſſertatio critica de hominibus, orbis noſtri incolis, ſpecie et ortu auito inter ſe non differentibus.* Hamburgi 1721. quae etiam in eius *Sylloge Opuſculorum hiſtorico-critico-litterariorum*, Hamburgi 1738. 4. euulgata exſtat.

§. CLXIII.

Imago diuina, ad quam primi homines formati eſſe dicuntur, in genere quidem notare poteſt quamuis, quae inter Deum et hominem intercedit, ſimilitudinem; ſed quoniam aliquid ſingulare hiſtoricus ſacer indicare videtur, cum de hac loquitur imagine: eam alii in *animi hominis, tanquam ſpiritus, natura* Gen. IX, 6. Iac. III, 9; alii in eius *in bruta animantia dominio* Gen. I, 26; alii denique in *perfectione* eius *morali*, ſiue in recta Dei cognitione et in ſanctitatis ſtudio Eccleſ. VII, 30. Epheſ. IV, 24. Col. III, 10. quaerendam eſſe arbitrantur. Forſitan hoc modo hae diuerſae ſententiae inter ſe poſſunt conciliari, ſi dicamus, e ratione, qua homo eſt praeditus, tanquam fonte, et eius in bruta animantia dominium et omnem, qua gaudet, perfectionem moralem deriuanda eſſe; eam ergo praecipue, vt imaginis diuinae

notam characteriſticam eſſe ſpectandam. Quantum vero in recto rationis vſu et in omni bono progreſſum fecerint primi homines, ex paucis iis, quae de illis relata legimus, haud facile quisquam definiuerit. Quin excellentibus animi facultatibus et egregiis corporis dotibus praeſtiterint atque praeclaram ingenii ſui exercendi ac virtutis excolendae habuerint occaſionem, non eſt dubitandum. Quam diu nihil commiſerant mali, erant in *ſtatu innocentiae* ſiue *integritatis*.

In homine quandam Dei imaginem expreſſam eſſe, etiam agnouerunt haud pauci inter gentiles philoſophos, quorum loca, id declarantia, adfert TOBIAS PFANNERVS in *Syſtemate Theologiae gentilis purioris* Cap. VII. §. 3 ſeqq.

§. CLXIV.

Magna primi homines fruebantur felicitate; nam et ratione animi et corporis et ſtatus externi omnibus iis affluebant bonis, ex quibus perpetuam percipere potuiſſent voluptatem. Vtiliſſima ſibi partim iam cognoſcebant, partim facile diſcendi omnem habebant copiam, nullius mali facti ſibi erant conſcii et ideo de fauore Dei certi. Corpora eorum erant vegeta et robuſta. Morbos, dolores et alia incommoda, quae noſtrum affligere ſolent corpus, ignorabant et mortem non timebant. Verſabantur in loco amoeniſſimo, in quo ſine moleſtis laboribus quaeuis ad victum ſuum neceſſaria illis ſuppetebant. In ſua ſimpliciori viuendi ratione paucis erant contenti nec vanis deſideriis eorum, quae tantum faſtum et libidinem alunt et quibus humana proprie non indiget natura, turbabantur. Haec eorum felicitas maiora adhuc cepiſſet incrementa, ſi continuum in cognitione ſua augenda et in rebus bonis peragendis poſuiſſent ſtudium et ſic diu in hoc permanſiſſent ſtatu.

Regio-

Regionem Eden, in qua erat paradiſus, ſiue hortus ille, in quo ante lapſum primi homines commorabantur Gen. II, 8-15, alii, vt HEIDEGGERVS, CLERICVS et HARDVINVS, in Syria, ſiue terra Cananaea, prope Iordanis fontes; alii, vt CALMETVS, RELANDVS et TACO HAIO *van den* HONERT, in Armenia, inter Tigridis, Euphratis, Phaſidis et Araxis fontes; alii, vt CALVINVS, BOCHARTVS et HVETIVS, in quadam Meſopotamiae vel Babyloniae parte, circa Tigridis et Euphratis confluentem, ſitam fuiſſe cenſent, vt de aliis opinionibus minus probabilibus nihil dicamus. Conf. MARCKII *Hiſtoriae paradiſi illuſtratae* liber primus et *Hiſtoriae vniuerſalis* ex anglico ſermone germanice verſae T. I. p. 117. ſeqq.

Aureum ſeculum, cuius deſcriptionem ex variis autoribus exhibet PFANNERVS in *Syſtemate theologiae gentilis purioris* p. 200. ſeqq. quandam cum ſtatu primorum parentum felici habet ſimilitudinem.

§. CLXV.

Praeter *legem naturalem*, *alia* adhuc *de non comedendo fructu arboris cognitionis boni et mali* primis praeſcripta erat hominibus Gen. II, 16. 17. Lex haec *non*, vt quibusdam videtur, *plane arbitraria* et ad eorum obſequium tantum explorandum et exercendum erat comparata; ſed grauiſſima aderat ratio, quare huius arboris fructum illis interdixerit Deus. Fructum enim hunc valde noxium fuiſſe et ex comminatione adiecta et ex ſermone ſerpentis Gen. III, 4. 5. et ex triſtibus effectis, quae eius comitabantur eſum, recte colligitur. Magis etiam decet Deum, praecepta dare ob cauſas ex rebus, quas iubet vel vetat, petitas, quam ex ſolo arbitrio impera-

perare. Qualis autem illa fuerit arbor, non liquet. Nomen, quo insignitur, vel ex euentu explicandum est, vel idem valet, quod arbor prudentiae Deut. I, 39. Ies. VII, 16. *Mors*, quam Deus primis parentibus comminabatur, praeter mortem naturalem, quaeuis, quae sibi contracturi essent, mala complectitur. Ex quorundam sententia parum probabili mors haec omnimodam hominis destructionem notat.

De appellatione arboris scientiae boni et mali confer. VITRINGA in *Obseruationibus sacris* Lib. IV. cap. 12.

§. CLXVI.

Secundum narrationem Mosis Gen. III, 1 seqq. astutia et instigatione serpentis factum est, vt fructu sibi prohibito primi vescerentur parentes et inconsiderata sua agendi ratione in valde tristem inciderent statum. Haec eorum temeritas cum malis inde ortis dicitur *lapsus*. Prolapsi enim sunt ex vita beata in valde miseram et ob facinus suum commissum grauem luerunt poenam. Statim senserunt corporis sui sibi molestam mutationem et, amissa mentis tranquillitate, variis agitati sunt angoribus. Eiecti deinde e paradiso in duriori vitae conditione vsque ad mortem sunt versati. Permisit Deus hunc eorum lapsum ob rationes sapientissimas, inprimis quoniam eorum libertatem intemeratam esse voluit et quoniam malis, quibus premebantur, salutarem parauerat medicinam. De seria eorum resipiscentia, qua fauoris diuini rursus participes sunt facti, nullus dubitandi est locus (confer. §. LXXVII.).

§. CLXVII.

Ex vulgatiori sententia *serpens*, qui primos homines ad legem Dei de fructu arboris vetitae non comedendo

do violandam incitauit, fuit *diabolus* Ioh. VIII, 44. qui vel ſerpente tanquam inſtrumento ſit vſus, vel ſerpentis formam ad breue adſumſerit tempus, vel ſerpentis tantum nomine ob conſilium nocendi fuerit appellatus, licet aliam quandam perſonam, forſitan boni angeli, geſſerit. Ex Iudaeis veteribus IOSEPHVS *Antiquitatum iudaicarum* Lib. I. c. 2. §. 4. ponit, hic ſerpentem naturalem, qui et loqui et pedibus incedere potuiſſet, intelligendum eſſe. Eum e recentioribus philologis ſequitur SCHINDLERVS in *Lexico pentaglotto* ſub voce נחש. PHILO in libro περὶ Κοσμοποιίας ſerpentem voluptatis i. e. prauae cupiditatis ſymbolum eſſe cenſet, quod etiam ORIGENI videtur. Iudaei quidam recentiores ſerpentem indicare יצר הרע i. e. figmentum prauum putant. ABARBANEL ſerpentem quidem adfuiſſe, ſed non locutum eſſe et tantum de arboris vetitae fructu comediſſe atque ſic Euam ad idem faciendum allexiſſe arbitratur. Vix dubitari poteſt, quin quaedam in hiſtoria lapſus ſint ſymbolica. In genere docere voluit Moſes, primos homines peccato primo, ſua culpa commiſſo, in longe deteriorem corruiſſe conditionem. Praeterea tota haec hiſtoria vtile complectebatur exemplum ad monendos Iſraelitas, vt ſibi ab idololatria cauerent et Deo dicto audientes eſſent, ne, vt primi parentes ob contumaciam ſuam e paradiſo ſunt eiecti, ſic neglectis diuinis praeceptis exciderent terra ſibi promiſſa.

Poſtquam GROTIVS *de iure belli et pacis* primorum hominum viuendi rationem deſcripſerat, ſic pergit Lib. II. c. 2. §. 2. n. 2. *in vita hac ſimplice et innocente non perſtiterunt homines, ſed animum applicuerunt ad artes varias, quarum ſymbolum erat arbor ſcientiae boni et mali i. e. earum rerum, quibus tum bene tum male vti licet: Φρόνησιν μέσην vocat Philo. Huc reſpiciens Sa-*

 lomo

lomo Eccl. VII, 30. Deus, inquit, creauit hominem rectum i. e. simplicem, sed ipsi quaesiuerunt sibi cogitationes multas. ἔῤῥεπον ἐις πανεργίαν, *vt dicto loco Philo loquitur.* Ingenio suo in historia lapsus interpretanda valde abusi sunt AGRIPPA, HELMONTIVS, BEVERLANDVS et Autor commentationis germanicae: *Eden* d. i. Betrachtungen über das Paradies und die darinn vorgefallenen Begebenheiten. Francof. ad Moenum 1771. 8. In recensione illius in der *allgemeinen deutschen Bibliothec* Vol. XVII. p. 374 seqq. non sanguinem humanum, vti commentationis huius autor vult, sed naturalem hominis plura cognoscendi cupiditatem sub serpentis nomine latere adseritur.

§. CLXVIII.

Ex Adami lapsu quaedam etiam mala in posteros eius, qui ipsum in peccando sunt imitati, redundarunt Rom. V, 12. A multis Adamus consideratur, vt *caput genus humanum repraesentans*, qui illius egerit nomine; cum igitur *foedus operum*, quod cum illo Deus sanxerat, fregisset, omnes eius posteros huius reos factos culpae, eosque in peccato natos ad bonum, quod Deo placeat, agendum ineptos esse et, nisi redemtionis per Christum fiant participes, in aeternum fore miseros. Foedus operum, quod inter Deum et Adamum intercessit, praecipue adstruunt Hoseae VI, 7. Peccatum Adami posteris eius imputari, Paulus affirmare videtur Rom. V, 19. *Peccatum*, in quo homines nasci dicuntur, et quod *originis* vocatur, ipsis est inclinatio ad malum, quae in omnibus iam ab infantia se prodat Gen. VIII, 2. Pf. XV, 17. Iobi XIV, 4. Ioh. III, 6. Quoniam homines natura ad bonum perpetrandum sunt infir-

infirmi, eos in peccato mortuos esse Ephes. II, 1. 5. Col. II, 13 et, nisi gratia Dei salutari, per Christum exhibita, in meliorem restituantur statum, omni aeternae felicitatis spe priuatos esse Rom. VI, 23. Ephes. II, 3. perhibent. In his omnibus probe perpendendum est, quid loca citata et alia similia proprie sibi velint, ne quid statuamus, quod tam aliis quibusdam Scripturae sacrae dictis, quam perfectionibus Dei nobis cognitis sit contrarium.

Ad locum Hoseae c. VI, 7 illustrandum maxime facit ALBERTI VOGET *Disputatio theologica de foedere operum Adamico ad Hoseae* VI, 7. Traiecti ad Rhenum 1737. *Doctrinam de peccato originis* et cum illa connexa primus stabilire studuit AVGVSTINVS, vt gratiae diuinae, per Christum declaratae, necessitatem eo firmius demonstraret. Valde quidem laborauit in dubiis, contra illam motis, remouendis; non tamen euincere potuit, quomodo aliquid possit esse peccatum, quod non sit voluntarium. Non enim facile alicui rationem, quam profert, probabit. *Operum* edit. Paris. 1543. Tomo I. p. 4. Litt. M. sic inquit: *et illud, quod in paruulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non vtantur libero arbitrio voluntatis, non absurde vocatur etiam voluntarium, quia ex primi hominis mala voluntate contractum, factum est quodam modo haereditarium. Non itaque falsum est, quod dixi: vsque adeo peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Aliter huic dubio occurrit MELANCHTHON in *locis theologicis*, operum Parte I. p. 173. *Nunc admonendus est lector de quibusdam dictis: nihil est peccatum, nisi sit voluntarium. Haec senten-*

ſententia de ciuilibus delictis tradita eſt, nam iudicio forenſi puniuntur tantum voluntaria delicta, vt fortuita caedes non punitur a praetore: ſed non transferendum eſt hoc dictum ad doctrinam euangelii de peccato et ad iudicium Dei. Auguſtinus argute inquit, et peccatum originis voluntarium eſſe, quia eo delectamur. Sed haec interpretatio arguta longius recedit ab illa praetoria ſententia. Dexterius eſt, non miſcere intempeſtiue politicas ſententias et euangelium. Satis eſt igitur hoc reſpondere, ſententiam illam loqui de forenſi iudicio. Ex opinione noſtra Auguſtinus imperfectionem quandam hominis, a primis parentibus propagatam, quam vocat imputatam, peccatum dixit originale. Vti ſaepe confuſe animi ſui ſenſa exprimit: ſic hoc in loco imperfectionem ſenſit, cum de peccato loquitur. Imperfectionemne vero metaphyſicam, an nimiam hominis ad res, quae ſenſus mouent, propenſionem, an aliam quandam infirmitatem, ex qua eius moralis deriuanda ſit corruptio, intellexerit, non ſatis patet. Theologi quidam, qui vulgarem de peccato originis ſententiam incommodis eam prementibus liberare ſtudent, virtuti mortis Chriſti tribuendum eſſe ſtatuunt, quod ob peccatum illud ſolum nemo aeternum ſit periturus. Eorum enim, quae Chriſtus fecit, imputatione ſublatam eſſe culpae, ab Adamo in poſteros eius deriuatae, imputationem.

§. CLXIX.

Quamuis *doctrina de peccato originis* multis videatur eſſe grauiſſima et firmiſſima; diffitendum tamen non eſt, eam adhuc accuratiori indigere examine. Neque tacen-

tacenda ſunt *dubia*, quae a nonnullis contra illam proferuntur. Dicunt nempe: 1) foedus operum, quod Deus cum Adamo, tanquam generis humani capite, pepigerit, ex nullis claris Scripturae ſacrae locis confici poſſe; 2) eam contra expreſſe affirmare, filium ob delictum parentis non eſſe puniendum Ezech. XVIII, 20; 3) etiam in iudiciis humanis, inter gentes paulo moratiores, nunquam liberos poenas luere ob crimina, a parentibus commiſſa; 4) neque exſtare Scripturae ſacrae vlla dicta, quae imputationem culpae Adami, poſteris factam, dilucide euincant; 5) ſi peccatum Adami primum poſteris imputatum eſſet, etiam eius ſecutam deinde reſipiſcentiam et vitae emendationem ipſis fuiſſe imputandam; 6) ſi Adamus etiam non lapſus eſſet, non tamen omnes eius poſteros extra culpae et poenae periculum futuros fuiſſe conſtitutos; nam quosdam eorum, aeque ac Adamum, peccare potuiſſe; 7) tantum abeſſe, vt Adami peccatum nobis ſit imputandum, vt potius quaedam noſtrorum peccatorum culpa ab Adamo ſit repetenda, quia congeniti nobis peccati et inde ortae corruptionis noſtrae cauſa fuit; 8) Scripturam ſacram ſaepe declarare, Deum cuiuis ſecundum opera ſua redditurum Rom. II, 6. vnumquemque eorum, quae in hac vita egerit, ſiue bona, ſiue mala ſint, mercedem accepturum eſſe 2 Cor. V, 10; 9) eandem Scripturam infantes ſaepe deſcribere, vt inſontes et omnis malitiae expertes Deut. I, 39. Matth. XVIII, 3. 4. c. XIX, 14. 1 Cor. XIV, 20; 10) corruptionem hominum moralem ex mala multorum educatione, ex prauis aliorum, quae imitantur, exemplis, ex cupiditatibus ipſis innatis, quas non ſemper recta moderantur ratione, ex neglecta intellectus ſui cultura et aliis cauſis ſatis explicari poſſe, vt ad prauitatem quandam naturalem confugere non ſit opus. Haec et alia quaedam dubia effecerunt, vt non pauci etiam inter Proteſtantes theologi, noſtro praeſertim

ſertim tempore, doctrinam de peccato Adami, poſteris imputato, vel plane reiicerent, vel ſaltem vt incertam in medio relinquerent.

Quae de *peccato originis* docuit AVGVSTINVS, eccleſia latina deinde acriter defendit; graecis autem eccleſiae patribus ea fere incognita fuerunt. Iam tempore reformationis ZWINGLIVS a vulgari de hoc peccato opinione in quibusdam receſſit, vt ex eius *de peccato originali declaratione ad Vrbanum Rhegium*, Operum eius Tomo II. p. 115. ſeqq. et ex *fidei* eius *ratione ad Carolum V.* ibid. pag. 538. 539. videre licet. Praeter Socinianos et Remonſtrantes peccatum Adami poſteris imputatum eſſe negarunt: IOSVA PLACAEVS in *diſputatione de imputatione primi peccati Adami.* Salmurii 1661. 4. quae etiam exſtat in Operum eius, Franequerae 1699. 2 Tomis in 4. editorum, Tomo I. p. 159. ſeqq. qui tamen tantum huius peccati imputationem immediatam, mediata conceſſa, in dubium vocauit; GILB. BVRNETVS in *expoſitione articulorum XXXIX. eccleſiae Anglicanae* §. 9. et DAN. WHITBY in *tractatu de imputatione diuina peccati Adami poſteris eius vniuerſis in reatum*, Londini 1711. 8. et recuſo Halae *cum obſeruationibus Semleri* 1775. Vulgo receptam ſententiam de peccato originis tueri ſtuduerunt inter alios IONATHAN EDWARDVS, qui contra Whitbyum *defenſionem doctrinae de peccato originali*, anglice ſcriptam, Oxonii 1711. 8. emiſit, cui *pleniorem reſponſionem*, anglice exaratam, oppoſuit Whitby Londini 1712. 8. SIGISM. IAC. BAVMGARTEN in *diſputatione de imputatione peccati Adamitici poſteris facta*, quam ſub praeſidio eius habuit M. STEPH. CHRI-

STOPH.

STOPH. LENZEN. Halae 1734. et IAC. CARPOVIVS in *Commentatione de imputatione facti proprii et alieni, speciatim vero peccati Adami in posteros, aduersus Dan. Whitby.* Ienae 1736. 8. Pluribus contra multis probatam de peccato originali doctrinam disputat IOH. TAYLOR in libro de illa anglice edito Londini 1740. et qui secundum tertiam editionem germanice versus sub titulo: *Schriftmässige Lehre von der Erbsünde.* Francofurti et Lipsiae 1769. 8. prodiit.

§. CLXX.

Ex peccato originis deriuari solet *hominis corruptio naturalis*, qua ad malum propensus et ad omne verum bonum peragendum sit ineptus. Qui eam tanquam certam ponunt, intellectum hominis plane caecum ad veritatem salutarem cognoscendam et voluntatem peruersam atque a bono amando abhorrentem esse, sibi persuadent; vnde fieri, vt omnes homines in peius ruant et semper fiant deteriores, nisi gratia Dei supernaturali emendentur et ad meliorem vitae perducantur rationem. Ad eam confirmandam nonnulla Scripturae sacrae dicta adferunt v. g. Rom. III, 10-18. 1 Cor. II, 14. Ephes. II, 3. c. IV, 17. 18. Alii contra hanc naturalem hominis corruptionem vel plane inficiantur, vel nimis exaggerari contendunt et magnas adhuc imaginis diuinae post Adami lapsum dicunt esse reliquias, vt homo, si modo ingenii sui culturam non negligat, et in vero cognoscendo et in bono persequendo magnos facere possit progressus; Scripturae vero sacrae dicta, paulo ante citata, non de naturali omnium hominum, sed de Iudaeorum et gentilium culpa sua animi et morum contracta deprauatione agere. Certe, quicquid etiam de hac naturali corruptione statuatur, negandum non est, hominem

prae-

praeclaris animi bonis, natura sibi concessis, gaudere (§. CLX.), quibus si recte vtatur, sperare eum posse, fore vt Deus adhuc maiora in se conferat beneficia et gratia sua ad salutem suam procurandam sibi succurrat. Optime omnium agit homo, si vires, quas habet, naturales diligenter exercet atque omni ratione sibi a malo cauere et ad quoduis bonum se aptum studet reddere; hoc enim si facit, conatus suos non irritos esse, facile videbit.

§. CLXXI.

Peccatum proprie dictum, quod vulgo *actuale* vocant, est omne factum hominis, legi ipsi praescriptae contrarium 1 Ioh. III, 4. Cuiuis homini leges quasdam tulit Deus, rationis ope cognoscendas Rom. II, 15. quas reuelatione confirmauit et illustrauit Michae VI, 8. Matth. XXII, 37-39. Sunt praeterea leges ciuiles, ad quas obsequium, magistratibus nobis praepositis debitum, nos obstringit Rom. XIII, 1. 2. Est autem *peccatum* vel *commissionis*, si facimus vitanda, vel *omissionis*, si quid, quod nostri est officii, negligimus Iac. IV, 17. Distingui etiam solent peccata *ratione obiecti* in ea, quae quis vel contra Deum, vel contra se ipsum, vel contra alios committit et *ratione modi peragendi* in interna, quae in cogitationibus illicitis, et externa, quae in minus honestis gestibus, sermonibus et actionibus aliis, corpore peractis, consistunt.

Ad malas cogitationes a quibusdam etiam referuntur *motus primo-primi*, vt scholastici eos vocarunt, quos tamen alii ideo culpa vacare arbitrantur, quia homine inuito oriuntur et multum differunt a prauis cupiditatibus, quibus homo indulget et quas non improbat Rom. VII, 7.

§. CLXXII.

§. CLXXII.

Caussa peccati in homine est libertatis suae abusus, siue cupiditas a recta ratione deflectens 1 Ioh. II, 16. Iac. I, 14. 15. Quamuis enim voluntas eius non nisi ad bonum feratur; saepe tamen fit, vt vel, quid sibi faciendum sit, ignoret, vel bona apparentia veris praeferat et praua consuetudine in malo peragendo confirmetur. Quo magis vitari potuit *ignorantia*, eo minus peccata, ex illa commissa Ps. XIX, 13. 1 Tim. I, 13. excusanda sunt. Idem valet de *praecipitantia*, qua quis ad peccandum impellitur Matth. XXVI, 41. Gal. VI, 1. Peccatis ignorantiae et praecipitantiae longe grauiora sunt, quae deliberato consilio et ex quadam animi *malitia* fiunt Num. XV, 30. Lucae XII, 47. 48. Peccatis grauissimis adnumerantur *clamantia* Gen. IV, 10. c. XVIII, 20. Exodi XXII, 22-24. Hab. II, 11. Iac. V, 4. *peccatum ad mortem* 1 Ioh. V, 16. et in *spiritum sanctum* Matth. XII, 31.

§. CLXXIII.

Homo peccato deditus tandem fit *seruus peccati* Ioh. VIII, 34. Rom. VI, 16. 20. et *peccatum ipsi imperat* Rom. VI, 12. *in ipso habitat* Rom. VII, 17. 20. i. e. tanta vis est prauae consuetudinis, vt valde difficile sit, eam mutare et contra eam agere Ier. XIII, 23. Ex eadem mala consuetudine oritur *induratio in malo*, quae fere omnem emendationis spem excludit Rom. II, 5. Hebr. III, 13. Quicunque vel exemplo suo, vel persuasione, vel alio modo, alterum ad peccandum incitat, vel alterius malefactum non impedit, cum posset et deberet, *peccati eius fit particeps* 1 Tim. V, 22.

§. CLXXIV.

Poenae peccati sunt omnia mala, quae peccatum commissum fere semper sequuntur et sunt vel *naturales*, quae cum malefacto in se spectato, vt effectus cum caussa,

coniunguntur, cuiusmodi ſunt animi conſcientia hominem excrucians, morbi intemperantiae comites, contemtus aliorum, qui vitiis perditum auerſantur, paupertas et alia vitae incommoda, quae quis culpa ſua contrahit Prou. VIII, 36. Rom. II, 15. 1 Tim. VI, 9. 10. vel *arbitrariae*, quae ab arbitrio legislatoris pendent et quae tam a Deo, quam ab hominibus, legum violatoribus ſunt propoſitae Rom. VI, 23. c. XIII, 4. 1 Cor. VI, 9. 10. Ex malis iſtis, quae peccato adhaerent, naſcitur *miſeria hominis*, qui in peccando perſeuerat. Qui enim omnia ad prauas animi cupiditates refert et nullam recti et honeſti habet rationem, tam internum, quam externum ſtatum ſuum reddit deteriorem et ipſi tam in hac, quam in vita poſt mortem futura multa ſunt timenda, quibus carere potuiſſet, ſi officii ſui ſemper fuiſſet memor Rom. XIV, 34. Rom. II, 5. 6. 8. 12.

§. CLXXV.

Ab hac miſeria homo *liberari* nequit, niſi eam cognoſcat, veniam peccatorum ſuorum a Deo impetrare, in poſterum quaeuis peccata vitare et ad voluntatem diuinam ſuam componere vitam ſtudeat. Auxilium diuinum, quo ad ſalutem ſuam ſperandam indiget Hoſeae XIII, 9, ipſi non deerit, ſi de eo conſequendo debita ratione eſt ſollicitus. Omni enim tempore oſtendit Deus, quam paratus ſit ad veram hominis felicitatem procurandam. Vti ope rationis et beneficiis omnibus communibus eum ad virtutem et pietatem excitare non intermittit Act. XIV, 17. c. XVII, 26. 27. Rom. II, 4; ſic ſingulari reuelatione, quid ipſi faciendum eſſet, vt bonorum adhuc maiorum fieret particeps, declarauit (§. LIX.). Inprimis maximum gratiae ſuae dedit documentum, dum Ieſum Chriſtum hominum conſtituit liberatorem, per quem omnes, monitis eius recte vtentes, e miſeria peccatorum eriperentur Act. IV, 12. Hebr. I, 1. 2.

CAPVT

CAPVT X.

DE IESV CHRISTO, HOMINVM LIBERATORE.

§. CLXXVI.

Iesus Christus, auctor religionis christianae (§. XCV.), extraordinariis dotibus et diuina auctoritate praeditus, hominibus viam monstrauit, qua ad felicitatem veram peruenirent Matth. XI, 28-30. Ioh. XIV, 6 et omnia ea praestitit, quae ad eos a peccato et miseria, cum illo coniuncta, liberandos requirerentur Matth. XX, 28. 1 Tim. II, 5. 6; quare etiam *seruator* dicitur Lucae II, 11. 1 Tim. IV, 10. Tit. II, 13. Ad magnum hoc opus perficiendum primum in *statu humili* versatus, deinde in *valde sublimem* elatus et maxima gloria cumulatus est. Philip. II, 5-11.

§. CLXXVII.

Natiuitate mirabili e virgine Maria Matth. I, 20. 25. Lucae I, 34. 35. c. II, 1-7. quae ab angelo praedicta Lucae I, 26 seqq. et a multitudine angelorum celebrata est Lucae II, 13. 14. verus factus est homo Ioh. I, 14. 1 Tim. II, 5. Hebr. II, 14. et similis reliquis hominibus, peccato excepto, a quo plane fuit liber Hebr. IV, 15. c. VII, 26. Iam *in infantia* expositus fuit insidiis Regis Herodis, qui eum, quod e stirpe Dauidis erat, e medio tollere studebat Matth. II, 16. 20. *Tempus pueritiae et adolescentiae* suae consumsit Nazarethi, domi parentum suorum, quibus paruit. In vita hac priuata, de qua pauca tantum memorantur, se ad munus, postea suscipiendum, praeparauit et iam tunc praeclara eius indoles omnibus fuit admirationi Lucae II, 40. 47.

Duplex exſtat *genealogia* Chriſti, alteram, quae proprie eſt Ioſephi, Matthaeus cap. I. et alteram, quae ad Mariam ſpectat, Lucas cap. III, 23 ſeqq. exhibet. Quomodo haec cum illa concilianda et difficultates in vtraque occurrentes e medio tollendae ſint, oſtenderunt FRID. SPANHEMIVS in *Dubiis euangelicis* et SIGISM. IAC. BAVMGARTEN in Programmate *de genealogia Chriſti.* Vtrum duo prima Matthaei capita, quorum prius genealogiam Chriſti continet, ſint genuina, an a poſteriori manu addita, quaeſitum eſt a duobus viris doctis in Anglia IOH. WILLIAMS et VELTHVSEN, quorum prior horum duorum capitum autoritatem in dubium vocauit in ſcripto: *Inquiry into the Authenticity of Matthew* I. II. Londini 1771. 8. et poſterior eam ſtabilire ſtuduit commentatione, eodem loco et anno euulgata, cuius eſt titulus: *The Authenticity of the firſt and ſecond Chapter of St. Matthew's Goſpel vindicated.*

Inſipidas fabulas continet *Euangelium infantiae*, quod HENR. SIKE ex manuſcripto edidit ac latina verſione et notis illuſtrauit. Traiecti ad Rhenum 1697. 8.

§. CLXXVIII.

Per omne tempus, quo doctoris munere inter Iudaeos fungebatur, in ſumma vixit paupertate et grauiſſimas ſibi inimicorum pertulit vexationes Matth. VIII, 20. Ioh. VII, 30. c. VIII, 59. c. X, 31. Inprimis in fine vitae, Iudaeorum et Pilati iudicio traditus, *duriſſima quaeuis perpeſſus et tandem ſupplicio crucis*, ſeruili et acerbiſſimo necis genere, vt maleficus *eſt affectus* (§. XCV.). In omnibus his perpeſſionibus vsque ad mortem maximam animi conſtantiam, patientiam, manſuetudinem, fiduciam in Deo poſitam aliasque, quibus nobis

nobis esset exemplo, exercuit virtutes 1 Petri II, 21-23. Deinde veritatem doctrinae suae morte confirmauit 1 Tim. VI, 12. Denique perpessionibus et morte sua de remissione peccatorum nostrorum, a Deo speranda, nos reddidit certos, vt tanquam victima piacularis sit considerandus Matth. XXVI, 28. Ioh. I, 29. Rom. III, 25. 2 Cor. V, 21. 1 Petri II, 24. Atrocissima multa ob praeclarum, quem sibi proposuit, finem non inuitus passus est, licet esset innocentissimus. *Animi moeror*, quem in horto Gethsemane paulo ante vltimas perpessiones sensit Matth. XXVI, 37. 38. ex consideratione omnium malorum, quibus iam obuiam ibat, ortus esse videtur. Cum in cruce exclamaret: *Deus mi, Deus mi, quare me deseruisti* Matth. XXVII, 46. nullo modo desperationem, sed tristissimum animi sensum, ex variis cruciatibus perceptum, declarauit.

Iudaei, vt vaticinia quaedam V. T. v. g. Ps. XXII. Ies. LIII. quae de humili Messiae statu eiusque afflictionibus et morte agunt, cum aliis, quae eius gloriae et summae dignitatis faciunt mentionem, conciliarent, *duplicem* finxerunt *Messiam*, alterum filium Iosephi, pauperem et contemtum, alterum filium Dauidis, omnibus bonis affluentem et eximio honore conspicuum. Confer. IVSTI MARTINI GLAESENERI *Commentatio de gemino Iudaeorum-Messia*. Helmstadii 1739. 4. De caussis grauissimi moeroris, quo Christus paulo ante captiuitatem suam fuit oppressus, exstat Dissertatio Anonymi in Parte VIII. der *vermischten Abhandlungen und Urtheile über das Neueste aus der Gelehrsamkeit* p. 241. seqq. Vid. etiam EDVARD HARWOOD *über die zur Bewürkung der Seelenangst unsers Heilandes im Garten wahrscheinlicher Weise zusammen gestossene Ur-*

sachen in eius *vier Abhandlungen* Berolini 1774. 8.

Ex variis prodigiis, quae circa mortem Christi contigerunt, a nonnullis adstantium et eius innocentia et excellentia non sine causa colligebantur Matth. XXVII. 54. Lucae XIII, 47. Eorum quaedam, quid Iudaei impietate et crudelitate sua commeruissent, significabant. *Obscuratio solis*, quae tunc plena accidit luna, non potuit non esse plane extraordinaria. Eandem eam fuisse, quam PHLEGON TRALLIANVS, Hadriani Imperatoris libertus, obseruauit, quidam ecclesiae patres censuerunt, quibus adstipulatus est WHISTONVS; contrarium autem adstruxit ARTHVR ASHLEY SYKES, quorum scripta, de hac re euulgata, indicat et alia, de hac solis obscuratione notanda, adfert IOH. FR. WEIDLERVS in *historia Astronomiae* p. 169-172.

§. CLXXIX.

Christi mortui corpus, eodem adhuc die, e cruce sublatum in sepulcro nouo et in rupe exciso conditum est. *Sepulturam* eius curarunt Iosephus ab Arimathaea et Nicodemus, vtrique senatores Hierosolymitani et Christi olim occulti amici. Postero die Pilatus, precibus principum sacerdotum et Pharisaeorum motus, monumentum obsignari et a militibus Romanis custodiri iussit, ne Christi cadauer, id quod hostes eius timebant, a discipulis eius nocte auferretur Matth. XXVII, 57-66. Marci XV, 42-47. Lucae XXIII, 50-56. Ioh. XIX, 38-42. Sepultura haec corporis Christi eum vere mortuum fuisse demonstrat. Custodia sepulcro addita sparsas deinde Iudaeorum calumnias de ficta Christi resurrectione satis refellit. Quae de sepultura hac Ies. LIII, 9 praedicta sunt, difficultate quadam, quam alii alio modo tollere studuerunt, laborant.

§. CLXXX.

§. CLXXX.

In ſymbolo Apoſtolico poſt ſepulturam *ad inferos deſcendiſſe* dicitur Chriſtus, id quod alii proprie intelligunt Eph. IV, 9. 1 Petri III, 19. 20. eumque vel ſola anima ante reſurrectionem ad locum infernum, vt ſanctos patres ceterosque pios V. T. e carcere liberatos in coelum ſecum abduceret, ſe contuliſſe volunt, quae eſt ſententia Romano-Catholicorum; vel corpore et anima hunc petiiſſe locum, vt ſe Diaboli victorem eſſe oſtenderet, quam interpretationem plures ex Euangelico-Lutheranis probant; alii his verbis improprium tribuunt ſenſum eaque vel de mora in ſepulcro Pſ. XVI, 10. vel de perpeſſionibus animae Chriſti intenſioribus, poenis damnatorum aequalibus Gen. XXXVII, 35. 1 Sam. II, 6. vt Caluinus et Catecheſis Heidelbergenſis, vel de ſtatu mortuorum, in quo anima Chriſti, a corpore ſeparata, fuerit, explicant.

Vltimam hanc interpretationem reliquis omnibus praeferendam et articulum hunc, cum antea defuit, praecipue propter Apollinariſtas ſymbolo Apoſtolico inſertum eſſe, fuſe adſtruit PETRVS KING in *Hiſtoria ſymboli Apoſtolici* p. 152 ſeqq. Confer. etiam IOH. AVG. DIETELMAIERI *Hiſtoria dogmatis de deſcenſu Chriſti ad inferos.* Norimb. 1741. 8. et iterum ibid. edita 1762.

§. CLXXXI.

Statum Chriſti humilem ſecutus eſt *exaltatus*, in quo laborum ſuorum ampliſſima accepit praemia et homine maior declaratus eſt Rom. I, 4. Philipp. II, 9-11. Hebr. II, 9. 10. Non ſolum enim e mortuis reſurrexit, ſed etiam in coelum ſublatus eſt, conſedit ad dexteram Dei et aliquando definito tempore rediturus eſt ad iudicandos viuos et mortuos. *Reſurrectionem* ſuam ſaepe praedixerat Chriſtus Matth. XII, 39. 40. c. XVI, 21.

Ioh. II, 19. 21. 22. et cum reliquis vaticiniis eius euentus respondit, etiam in hoc non potuit falli. Veritatem huius resurrectionis confirmat testimonium Apostolorum, qui ipsum e mortuis resuscitatum saepe per quadraginta dies viderunt, cum illo sunt collocuti et e signis haud dubiis eum cognouerunt, vt erroris nulla sit suspicio Matth. XXVIII. Marci XVI. Lucae XXIV, Ioh. XX. XXI. De eorum integritate etiam non est dubitandum, cum essent viri pii, et cum ex hoc testimonio nulla ipsis commoda speranda, contra summa pericula, quae etiam adierunt, et grauissima mala, quae deinde pertulerunt, essent timenda. Eandem Christi e mortuis resurrectionem extra dubium ponunt, quae mortem Christi sunt consecuta, cum Apostoli extraordinariis Spiritus sancti donis instructi et magno animo praediti in eo loco, vbi Christus cruci adfixus erat, eum reuixisse publice affirmarent, eorumque verbis multi haberent fidem, nec eorum hostes, licet potentissimi et callidissimi eos mendacii arguere, aut eorum conatus, ad Christi gloriam diuulgandam tendentes, impedire possent Act. II. III. IV. Vti Christi e mortuis resurrectio maximum religionis christianae est firmamentum (§. XCIX); sic etiam futurae hominum resurrectionis spem facit certam 1 Cor. XV.

In veritate resurrectionis Christi adstruenda prae aliis laudabilem posuit operam *Humphr. Ditton*, cuius liber de hoc argumento, germanice versus, sub titulo: *Die Wahrheit der christlichen Religion aus der Auferstehung Iesu Christi auf eine demonstrativische Art bewiesen*, Brunsuigae 1732 et deinde 1749. 8. prodiit. Satis graues adduci possunt causae, ob quas post resurrectionem non nisi discipulis suis se conspiciendum praebuerit Christus Act. X, 40. 41. nec est, quod ideo Apostolorum de illa testimonium nobis videatur suspectum.

§. CLXXXII.

§. CLXXXII.

Poſtquam Chriſtus, vitae reſtitutus, per quadraginta dies diſcipulis ſuis varia amoris et prouidae curae ſuae dederat documenta eosque ad munus, poſtea explendum, ſatis inſtruxerat Lucae XXIV, 44-49. Act. I, 3. iis praeſentibus Bethaniae, prope montem oliueti, nube *in coelum eſt ſublatus* Marci XVI, 19. Lucae XXIV, 50. 51. Act. I, 9-11. c. III, 21. Hoc in coelum aditu Chriſtus ſuos de meliori vita, ipſis poſt mortem ſperanda, reddidit certos Ioh. XIV, 2. 3. et regno, ſibi promiſſo, coepit praeeſſe Lucae XXII, 29. 30. Act. V, 31. Eph. I, 20-22 ideo dicitur *ſedere ad dexteram Dei* Marci XVI, 19. Rom. VIII, 34. Epheſ. I, 20. Col. III, 1. 1 Petri III, 22. Quanta eius ſit gloria, maxime apparebit, cum in fine huius aeui *rediturus eſt ad iudicium extremum*, de quo in ſequentibus agetur, *exercendum*.

§. CLXXXIII.

Beneficia, quae Chriſto, ſeruatori noſtro, debemus, breuiter complexus eſt Paulus 1 Cor. I, 30. dum eum ait, *a Deo nobis factum eſſe ſapientiam, iuſtitiam, ſanctificationem et redemtionem.* Factus nobis eſt 1) *ſapientia*, quia veram docuit religionem (§. XCVI.), Deo dignam et hominis naturae conuenientem ideoque vniuerſalem. Oſtendit nempe, non ritibus externis, ſed ſincera pietate et virtute, gratum Deo cultum exhiberi; Deum eſſe patrem omnium hominum, ab eo quaeuis bona ſperanda, ſi ad eius voluntatem vitam noſtram componamus; veram et ſempiternam felicitatem non in iis rebus, quae gratae ſint ſenſibus, ſed quae animam perficiant, eſſe quaerendam; hominem vitiis deditum, licet externis abundet bonis, ſemper ſuam ſibi parare miſeriam. 2) Factus nobis eſt *iuſtitia*, quia, quid nobis ſit agendum, vt peccatorum noſtrorum veniam a

Deo adipiſcamur, demonſtrauit et praecipue paſſionibus atque morte ſua effecit, vt certiſſimam de peccatorum noſtrorum remiſſione, a Deo ſub certis conditionibus obtinenda, perſuaſionem haberemus (§. CLXXVIII.). 3) Factus nobis eſt *ſanctificatio*, quia optima vitae recte inſtituendae dedit praecepta; promiſſionibus de praemiis aeternis, pietatis et virtutis ſtrenuo cultori reſeruatis, ſtudium cuiusuis boni peragendi maxime excitauit; praeſtantiſſimum abſolutae ſanctitatis exemplum nobis praebuit et auxilium diuinum ad quasuis difficultates, in praeſcripto nobis curriculo ſuperandas, eſt pollicitus. 4) Factus nobis eſt *redemtio*, quia diſciplinae ſuae addictos non ſolum a moleſtis legis Moſaicae caerimoniis liberauit, ſed etiam tandem omni eripiet malo et vitae beatiſſimae poſt mortem reddet participes.

§. CLXXXIV.

Simplici hac de Chriſto, ſeruatore noſtro, doctrina non omnes fuerunt contenti, ſed iam ab antiquis temporibus haud pauci multa ſublimia et a captu plerorumque Chriſtianorum remota in iis, quae Apoſtoli de Chriſto tradunt, inuenire ſibi ſunt viſi et formulas quasdam credendi aliis praeiuerunt, quas ad hominum ſalutem neceſſarias eſſe crederent eumque, qui iis non vteretur, a recta fide longiſſime aberrare et haereticum eſſe voluerunt. Si quaedam in his rebus ſunt arcana, melius eſt, ignorantiam ſuam fateri, quam ea definire velle, quae non ſatis poſſunt intelligi et nullam vtilitatem, ſed tantum rixas pariunt. In longis de perſona Chriſti eiusque ſatisfactione diſputationibus omnis ſententiarum diuerſitas inde maxime eſt orta, quod alii fere omnia, quae de vtraque re in ſacris litteris leguntur, ſenſu intellexerunt proprio et varias excogitaverunt hypotheſes, ad interpretationes ſuas ſtabiliendas; alii quaedam ſenſu impro-

prio

prio capienda idque cauendum esse, ne quid aliis certis rebus contrarium adsumatur, contenderunt.

§. CLXXXV.

Ad intimum Dei cum Christo in salutis negotio perficiendo commercium explicandum, *duplici natura* Christus gaudere ponitur, altera *diuina*, altera *humana*. Creditur enim filius Dei, cum homo natus est, humanam naturam e carne virginis Mariae adsumsisse eamque tam arcte cum diuina sua coniunxisse natura, vt duae hae naturae vnam constituerent personam Ioh. I, 14. 1 Tim. III, 16. *Vnionem*, quae inter duas Christi naturas intercedit, vocant *personalem*. Ob hanc vnionem saepe alterutrius naturae propria toti tribuuntur personae Act. III, 15. Rom. IX, 5. quod *communicatio idiomatum* dicitur. Praeterea in iis, quae Christus ad redimendos homines fecit, vtraque natura sociam praestitit operam, adeo vt illa, licet ab humana natura maxime perfecta, toti adscribantur personae Act. XX, 28. 1 Cor. II, 8. id quod *communicationem apotelesmatum* appellant. Denique extraordinaria quaedam dona per hanc vnionem natura humana a diuina accepit Lucae II, 47. id quod *communicatio charismatum* et a nonnullis etiam ex Ps. XLV, 8. *vnctio* dici solet. Triplicem autem vnctionem factam esse volunt, primam in conceptione et natiuitate Lucae I, 35. secundam in baptismate a Iohanne peracto, cum doctoris munus in se susciperet Iesus Matth. III, 16. et tertiam in resurrectione e mortuis Rom. I, 4.

In concilio Chalcedonensi, anno 451. celebrato, quatuor vocabulis *vnio duarum Christi naturarum* est definita eamque factam esse ἀσυγχύτως sine permixtione, ἀτρέπτως sine conuersione, ἀδιαιρέτως et ἀχωρίστως, vt duae naturae nunquam a se inui-

cem

cem diuelli et ſeparari poſſent, patres ibi congregati voluerunt. *Communicationem apoteleſmatum* vrgere coeperunt theologi, vt FRANC. STANCARI ſententiae occurrerent, qui, Chriſtum humana tantum natura noſtrum fuiſſe redemtorem, ſibi perſuaſerat. Nouum adhuc *genus communicationis idiomatum*, quod *maieſtaticum* ſiue *auchematicum* vocatur, excogitauit IOH. BRENTIVS, ad corporis Chriſti vbiquitatem defendendam, cui plures in eccleſia euangelico-Lutherana ſunt adſtipulati. Quanta ſemper opinionum de perſona Chriſti fuerit diuerſitas, ſupra (in ſcholio §. CXXXI.) eſt expoſitum.

§. CLXXXVI.

Secundum vulgatiorem doctrinam Chriſtus non poterat eſſe hominum liberator, niſi eſſet *verus Deus* (§. CXXIX.) *et ſimul verus ac ſanctus homo* (§. CLXXVII.). Eum enim oportebat eſſe mediatorem inter Deum et hominem 1 Tim. II, 5. pro peccatis hominum ſatisfacere iisque ius vitae aeternae acquirere. Neceſſe erat, vt verus eſſet homo, quia hominum loco ipſi peccatorum poena variis animi angoribus, corporis doloribus et morte violenta erat luenda Ieſ. LIII, 4. 5. Hebr. II, 14-16. Ideo autem ſanctus et omnis peccati expers eſſe debebat, vt perfectam pro aliis praeſtaret obedientiam et quia alias ipſe pro peccatis ſuis meruiſſet poenam Rom. VIII, 3. 4. Hebr. VII, 26. 27. Requirebatur quoque, vt hominum ſeruator diuina praeditus eſſet natura, quae humanam in maximis malis perferendis, ne illis plane opprimeretur, ſuſtentaret, quae perpeſſionibus et morti eiusdem naturae maius conciliaret pretium et quae ipſum tam redderet potentem, vt beneficia, factis et perpeſſionibus ſuis parta, pluribus diſtribueret

bueret Act. III, 15. Eph. IV, 8. 1 Petri I, 18. 19. Ea, quae hominum caussa Christus praestitit, distinguuntur in *obedientiam actiuam*, quae in perfecta legis diuinae constitit obseruatione, et in *obedientiam passiuam*, quae omnium malorum et mortis ipsius complectitur tolerationem Phil. II, 8. Hebr. V, 8. Hanc solam nonnulli, vtramque vero plures homini, fide Christo vnito, imputari adserunt Rom. V, 18. 19. Phil. III, 9.

Obedientiam Christi actiuam necessariam quidem fuisse, ad omne seruatoris nostri officium explendum, non autem homini, in Christum credenti, imputari, inter alios contenderunt GEORGIVS KARGIVS siue PARSIMONIVS, qui tamen postea, multis minis territus, suam reuocauit sententiam, IOH. PISCATOR, GROTIVS, MARC. FR. WENDELINVS, LIMBORCHIVS, IOH. GOTTLIEB TÖLLNER et adhuc plures. His autem fere argumentis pro opinione hac sua pugnant. Dicunt: 1) Christum, vt hominem, ad omnia legis diuinae praescripta seruanda et ad vitam sanctam agendam fuisse obligatum, non ergo hanc vitae eius sanctitatem, vt meritum pro aliis praestitum, esse considerandam. 2) Si pro nobis legem Dei impleuisset Christus, nos, tanquam lege hac solutos, ad lubitum nostrum viuere posse, quod tamen nemo dixerit. 3) Nullibi in Scriptura sacra nostrae iustificationis caussam a vita sancta, quam Christus egit, repeti. Omnia, quae ab vtraque parte de hac re proferri solent, diligenter excussa sunt in libro, qui inscriptus est: *Der thätige Gehorsam Iesu Christi untersucht von* IOH. GOTTLIEB TÖLLNER. Vratislauiae 1768. 8.

§. CLXXXVII.

§. CLXXXVII.

Ea, quae Christus praestitit, vt hominibus sub certa conditione peccata condonarentur, siue *satisfactionem* eius plerumque ponunt in susceptione et tolerantia omnium poenarum, quas homines peccatis suis commeruissent. Christum, cum in hominum successisset locum, volunt perpessionibus et morte sua eorum luisse culpam et sic Deum placasse eiusque gratiam illis conciliasse. Poenam, quam pertulit, fuisse exemplarem, ex qua appareret, Deum peccata inulta et impunita dimittere non posse, et quae maximam homines a peccato deterrendi haberet vim. *Perpessiones* eius fuisse duplicis generis, alias *externas*, ab hostibus ipsi illatas, alias *internas* easque grauissimas, ex irae diuinae sensu ortas, quibus, tanquam hominum praes, ob eorum peccata fuerit afflictus. Ideo eum dici homines Deo reconciliasse Rom. V, 10. 11. 2 Cor. V, 18. 1 Ioh. II, 1. 2. c. IV, 10. pretium redemtionis pro illis soluisse Rom. III, 24. Gal. III, 13. Ephes. I, 7. Col. I, 14. eorum loco passum esse Ioh. XI, 50-52. Rom. V, 7. 8. 2 Cor. V, 15. 1 Petri II, 21. Hebr. II, 9. victimam factum fuisse pro eorum peccatis Ioh. I, 29. 1 Petri I, 18. 19.

Iam multi agnouerunt, Christum non proprie dici posse iram Dei tulisse eamque sua placauisse morte, cum Deus, maximo in homines amore ductus, filium suum ad eorum commoda misit procuranda Ioh. III, 16. et cum Christus in summis suis perpessionibus de patris sui certus fuit fauore Lucae XXII, 42. 43. c. XXIII, 46. et ipsi ob praestitum in durissimis obsequium gratissimus Ioh. X, 17. Ephes. V, 2. Philip. II, 9. quando vero Deo ira tribuitur Ioh. III, 36. Rom. I, 18. c. II, 5. id de poena,

poena, quam ob peccata hominibus infligit, intelligendum esse. Quoniam autem Christus describitur, vt victima pro hominum peccatis Deo oblata 1 Petri II, 24. Hebr. IX, 13. 14. c. X, 12. 14. vt piaculum, quo homines Deo sint placati Rom. V, 10. 2 Cor. V, 18. 1 Ioh. II, 2. et mors eius consideratur vt causa veniae peccatorum, hominibus a Deo sperandae Ephes. I, 7. Col. I, 14. alii putant, satisfactionem, quam Christus praestitit, non quidem rigido sensu esse sumendam; sed tamen perpessiones et mortem, quas propter hominum peccata pertulit, victimam fuisse Deo gratam et qua Deus, tanquam supremus hominum iudex, fuerit contentus, vt propter illam hominibus, ad frugem redeuntibus et ad Christi praescripta viuentibus, peccata condonare velit: quam sententiam maxime exornauit GROTIVS in libro *de satisfactione Christi*, qui in Operum eius Tomo IVto exstat et qui etiam cum additamentis IOACHIMI LANGII Halae 1730. 4. prodiit. Alii ea, quae Apostoli de mortis Christi fructibus memorant, de doctrina eius, morte ab ipso confirmata, praecipue valere arbitrantur. Illis rem fuisse cum Iudaeis et gentilibus, qui sacrificiis ad peccata sua expianda vterentur; quoniam autem doctrina euangelii rationem tradit, veniam peccatorum a Deo sine vllis sacrificiis impetrandi, et morte Christi foedus gratiae, quod cum hominibus Deus fecit, obsignatum eademque morte effectum est, vt latius diuulgaretur promissio euangelii de gratia diuina, omnibus hominibus sub certis conditionibus largienda: sat graues Apostolis fuisse causas, de morte Christi, tanquam victima expiatoria, qua omnia sacrificia sint sublata, loquendi, id quod eo minus esse miran-

randum, cum illis fuerit ſolenne, beneficia gratiae, quorum Chriſtiani fiunt participes, comparare cum beneficiis veteris Teſtamenti et variis dicendi formulis vti, a ritibus Iudaeorum mutuatis. Hanc ſententiam prae aliis valde probabilem reddere ſtuduit ARTHVR ASHLEY SYKES in libro Londini 1756. 8. euulgato: *The Scripture Doctrine of the Redemption of Man by Ieſus Chriſt, in two Parts. In the former of which, the principal, if not all the Texts relating to this Subject are produced, and the Meaning of each Text, where neceſſary, is examined and explained. In the latter, the Doctrine of our Redemption is ſet forth in XLVIII. Propoſitions.* Libri huius verſio germanica nuper eſt promiſſa. Conferantur etiam Diſſertatio ex anglico in germanicum ſermonem translata: *Ein Verſuch über das Opfer Chriſti*, quae inſerta eſt primo Volumini der *Brittiſchen Bibliothek* p. 105 ſeqq. cui opponuntur: *Anmerkungen über den vorhergehenden Verſuch* ibid. p. 124 ſeqq. et GVIL. ABR. TELLERI *Wörterbuch des N. T.* ſub vocibus: *Blut Chriſti*, *Erlöſen*, *Erlöſung*, *Opfer*, *Verſöhnen*, *Verſöhnung* et aliis quibusdam. Media quaedam ſententia placuit IOH. TAYLORI, qui in libro Londini 1751. 8. euulgato: *The Scripture-Doctrine of Atonement examined; firſt in relation to Iewiſh: and then, to the Sacrifice of our bleſſed Lord and Saviour Ieſus Chriſt*, cuius germanica verſio iam habetur. Negat quidem Taylor, Chriſtum hominum loco paſſum eſſe, eius tamen mortem a perfecta obedientia et eximia virtute, quam in tota vita ſua oſtenderit, ſingulare vult accepiſſe pretium; ideo Chriſtum Deo maxime fuiſſe

fuisse gratum, et vt Deus propter Abrahamum toti eius posteritati plura exhibuit beneficia, sic eum Christi caussa hominibus bene velle, illis peccata condonare et eos aeternum felices reddere, si Christi praeceptis morem gerant. Ex his diuersis sententiis de redemtione, per Christum facta, quiuis eam eligere potest, quam examine instituto cum Dei perfectionibus et cum iis, quae de hac redemtione Scriptura sacra docet, maxime consentire existimat. De tota hac re quasdam vtilissimas obseruationes in medium profert HERMANN ANDREAS PISTORIVS ad Volumen II. p. 452. seqq. libri ex anglica lingua in germanicam versi, hoc titulo inscripti: DAVID HARTLEYS *Betrachtungen über den Menschen, seine Natur, seine Pflicht und Erwartungen.* Rostochii et Lipsiae Vol. I. 1772. Vol. II. 1773. 8. Id, quod ad homines a peccato liberandos egit Christus, nunquam Scriptura sacra satisfactionem vocat, et primus, vt videtur, TERTVLLIANVS hoc vocabulum eo, quo nunc a theologis vsurpatur, modo adhibuit, dum inquit: *Christus peccata hominum omni satisfactionis habitu expiauit.* ANSELMVS scripsit librum: *cur Deus passus est*, in eo explicat *satisfactionem* per *debiti solutionem.* Varias huius vocis definitiones, a quibusdam theologis formatas, recenset IOH. GOTTLIEB TÖLLNER in libro *von dem thätigen Gehorsam Iesu Christi* p. 19-22.

§. CLXXXVIII.

Duplex adhuc quaestio a nobis hic est examinanda: 1) *vtrum pro omnibus hominibus, an pro solis electis, Christus sit mortuus?* Prius Vniuersalistae, po-

 sterius

ſterius Particulariſtae affirmant. Conuenit autem inter eos, illos tantum mortis Chriſti percipere fructus, qui vera fide in Chriſtum gaudent eaque ad omnem virtutem colendam incitantur. Quoniam vero beneficium, quod Chriſtus hominibus procurauit, ſaepiſſime vt vniuerſale deſcribitur Ioh. III, 16. Rom. VIII, 32. 2 Cor. V, 14. 15. 1 Tim. II, 4. 6. Tit. II, 11. Hebr. II, 9. interdum vero vt particulare Matth. XX, 28. c. XXVI, 28. Ioh. X, 15. c. XI, 52. c. XV, 13. Hebr. IX, 28. ad loca haec concilianda nihil eſt aptius, quam vt dicamus, ſalutem quidem omnibus hominibus per Chriſtum eſſe partam, eam vero non omnes ſibi reddere propriam; quoniam haud pauci eam negligunt et conditionibus, ſub quibus offertur, non ſtudent ſatisfacere. 2) *An nemo, niſi per Chriſtum ſeruatorem, vitae aeternae, ſiue perennis poſt mortem felicitatis, fieri poſſit particeps?* Sunt quaedam N. T. loca Ioh. XIV, 6. Act. IV, 12. quae, Chriſtum vnicam aeternae hominum ſalutis cauſam eſſe, indicare videntur; ſed cum conſideramus, Deum omnium hominum eſſe patrem et aequiſſimum iudicem, qui nunquam ab hominibus viribus eorum maiora poſtulabit et qui eos, qui Chriſtum eiusque doctrinam ſine vlla culpa ſua ignorauerunt, et tamen, quoad eius fieri potuit, omnis virtutis fuerunt ſtudioſi atque in eo magna elaborauerunt diligentia, vt officia, a recta ratione ſibi praeſcripta, ſancte ſeruarent, non poenis, ſed praemiis afficiet, et cum ipſa Scriptura ſacra bene facta eorum, qui extra eccleſiam, tam iudaicam, quam chriſtianam, vixerunt, laude et remuneratione digna iudicat Matth. XII, 41. 42. Act. X, 34. 35. Rom. II, 13-15. non eſt, quod aſſentiamur iis, qui extra eccleſiam nullam ſalutem et cum Auguſtino, gentilium virtutes ſplendida peccata eſſe, tuentur.

Christum non tantum pro electis, sed pro omnibus hominibus, mortuum esse, pluribus argumentis euincit et ad dubia, contra vniuersalem redemtionem a quibusdam mota, respondet IOH. DRIEBERGE in *libro de praedestinatione et gratia* cap. 3. et 4. p. 32. seqq. Etiam in quaestione 37 *catechismi Heidelbergensis* Christus dicitur iram Dei contra peccata totius generis humani tulisse. Ipsa *Synodus Dordracena* cum his conspirat cap. II. art. 3. et 6. *Mors filii Dei est vnica et perfectissima pro peccatis victima et satisfactio infiniti valoris et pretii, abunde sufficiens ad totius mundi peccata expianda. — Quod autem multi per euangelium vocati non resipiscunt, nec in Christum credunt, sed in infidelitate pereunt, non fit hoc hostiae Christi, in cruce oblatae, defectu vel insufficientia, sed propria ipsorum culpa.* GODESCHALCI, qui primus dixit, Christum non pro omnibus, sed tantum pro electis, mortuum esse, iam supra meminimus (in scholio §. CLIX.) Eos, qui inter gentiles iustitiam et alias virtutes coluerunt, beatam post mortem vitam agere IVSTINVS MARTYR, CLEMENS *Alexandrinus*, CHRYSOSTOMVS et alii quidam ecclesiae patres non dubitauerunt adserere. ARISTOTELEM, quod legi naturae conuenienter vixit, aeternam consecutum esse felicitatem, nonnullis e scholasticis visum est, vti BAELIVS in *Lexico* sub voce *Aristote* Litt. R et HEVMANNVS *de Anonymis* p. 103. 104. ostendunt. ERASMVS in *dedicatione Tusculanarum Quaestionum*, quae inter epistolas eius Londini 1642 in Folio editas p. 1694 exstat, hoc modo de CICERONIS post mortem iudicat forte: *vbi nunc agat anima*

Ciceronis, fortasse non est humani iudicii pronuntiare. Me certe non admodum aduersum habituri sint in ferendis calculis, qui sperant illum apud superos quietam vitam agere. Nulli dubium esse potest, quin crediderit aliquod esse numen, quo nihil esse posset neque maius, neque melius. Porro quid senserit de animorum immortalitate, quid de diuersa sorte praemiisque vitae futurae, tum quanta fuerit sincerae conscientiae fiducia, si non satis declarant tot eius libri, certe vel vna illa epistola satis arguit, quam ad Octauium scribit, iam, vt apparet, destinata morte. Si Iudaeis ante proditum euangelium sufficiebat ad salutem rudis quaedam et confusa de rebus diuinis credulitas, quid vetat, quo minus ethnico, cui ne Mosis quidem lex erat cognita, rudior etiam cognitio profuerit ad salutem, praesertim quum vita fuerit integra, nec integra solum, verum etiam sancta? Perpauci Iudaei ante lucem exortam euangelii nouerant exacte Filium et Spiritum sanctum: multi non credebant resurrectionem corporum, nec tamen ideo de illorum salute desperatum est a maioribus. Quid si ethnicus tantum hoc credat, Deum quem persuasum habet esse omnipotentem, sapientissimum et optimum, aliqua ratione subuenturum bonis et vlturum malos, quae ipsi videatur quam maxime accommoda? etc. Quid ZWINGLIVS de gentilium quorundam virtute excellentium conditione post mortem senserit, ex eius *fidei expositione*, quae in Operum illius Tomo II. legitur, apparet, vbi p. 559. Franciscum I. Galliae Regem, sic alloquitur: *deinde sperandum est, tibi visurum esse*

sancto-

ſanctorum, prudentium, fidelium, conſtantium, fortium, virtuoſorum omnium, quicunque a condito mundo fuerunt, ſodalitatem, coetum et contubernium. Hic duos Adam, redemtum ac redemtorem: hic Abelum, Enochum, Noam, Abrahamum, Iſaacum, Iacobum, Iudam, Moſen, Ioſuam, Gedeonem, Samuelem, Pinhen, Heliam, Heliſeum, Iſaiam ac deiparam virginem, de qua ille praecinuit, Dauidem, Ezekiam, Ioſiam, Baptiſtam, Petrum, Paulum: hic Herculem, Theſeum, Socratem, Ariſtidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones: hic anteceſſores tuos, et quotquot in fide hinc migrarunt maiores tuos videbis. Et ſummatim, non fuit vir bonus, non erit mens ſancta, non fidelis anima, ab ipſo mundi exordio vsque ad eius conſummationem, quem non ſis iſthic cum Deo viſurus. Hanc Zwinglii ſententiam, a multis reprehenſam, emollire ſtudet FELIX NÜSCHELER in vita eius, quae ſub hoc titulo: *Magiſter Ulrich Zwingli Lebensgeſchichte und Bildniſs*, Tiguri et Winterthuri 1776. 8. prodiit p. 197 ſeqq. De toto hoc argumento conferantur FRANCISCI *de la* MOTHE *le* VAYER commentatio *de la Vertu des Payens*, in operum eius Tomo I. p. 559 ſeqq. TOBIAE PFANNERI *Diſſertatio de ſalute gentilium*, in eius *Syſtemate Theologiae gentilis purioris* p. 491. ſeqq. *Neue Apologie des Socrates, oder Unterſuchung der Lehre von der Seeligkeit der Heiden* von IOH. AVG. EBERHARD. Berolini et Sedini 1772. et iterum ibidem 1776. 8. et *Commentatio theologico-philoſophica de illorum, quibus ſalutaris doctrinae lux nun-*

N 3 *quam*

quam affulsit, conditione post mortem. Auctore M. FRID. DAN. BEHN. Lubecae 1773. 4. Addantur etiam, quae in *Otio Hanoverano* p. 243. seqq. de fide implicita eorum, qui sint extra ecclesiam, a LEIBNITIO monentur.

§. CLXXXIX.

Iesum esse *Christum*, siue Messiam, a prophetis antea promissum, iam supra (§. XCVIII.) est demonstratum; quia vero Christus significat *vnctum* et olim apud Hebraeos non solum reges et sacerdotes Exodi XXX, 30. 1 Sam. X, 1. c. XVI, 13. sed, vti videtur, etiam prophetae 1 Reg. XIX, 15. 16. vngi et hoc modo ad munus suum inaugurari solebant: ex hoc nomine plerumque *triplex Christi munus, propheticum* nempe, *sacerdotale* et *regium* colligitur. Omnia etiam in Christum conuenire, quae de prophetis, sacerdotibus et regibus valent, sic fere confirmatur. Quoniam *prophetae* Dei voluntatem populo annuntiabant, eum docebant et res praedicebant futuras, Christus, qui haec omnia fecit Ioh. I, 18. c. XII, 49. Matth. VII, 28. 29. c. XXIV. iure dicendus est propheta Lucae VII, 16. c. XXIV, 19. Act. III, 22. 23. Quoniam porro *sacerdotes* sacrificia pro populo Deo offerebant, pro eo intercedebant apud Deum eique bona apprecabantur, Christus, qui pro peccatis hominum se tanquam victimam Deo obtulit, eorum apud patrem agit causam eosque bonorum coelestium reddit participes Ephes. V, 2. 1 Petri II, 24. 1 Ioh. II, 1. Hebr. VII, 25. Ephes. I, 3. c. IV, 8. omnia, quae sacerdotis, imo Pontificis maximi erant propria, praestitit Ps. CX, 4. Hebr. VII-X. Quoniam denique *regum* est, sibi subiectos aequis regere legibus et contra vim externam tueri, Christus, qui ecclesiam suam verbo, siue praeceptis, et spiritu

regit eamque contra omnes hostium defendit conatus Ioh. V, 24. c. XIV, 15. 23. Rom. VIII, 9. Matth. XVI, 18. Ioh. X, 27. 28. Rex et dominus vocatur Lucae I, 33. Ioh. XVIII, 36. 37. 1 Cor. VIII, 6. Sed, si proprie loqui velimus, dicendum est, vnicum esse munus Christi, quod omnia, quae hominum caussa et ad eorum salutem egit, complectitur. Fuit enim diuinus verae religionis doctor (§. XCVII. XCVIII.), ac doctrina et meritis suis effecit, vt homines a peccato liberari et aeternae salutis compotes fieri possent. Quia vero Apostolis res erat cum Iudaeis, ab ipsis sapienti consilio multa de Christo, typica tantum ratione intelligenda, praedicabantur. Christus quidem ipse se vocat regem Ioh. XVIII, 37. sed simul addit, quod non nisi per doctrinam animis hominum imperet. In epistola ad Hebraeos Christus cum Pontifice summo V. T. comparatur eum in finem, vt declaretur, eum excellentiori ratione ea praestitisse, quae Iudaei de suo summo Pontifice gloriabantur. Non ergo, quae improprie tantum de Christo, vt rege et sacerdote, dicuntur, nimis sunt vrgenda; sed id modo est quaerendum, quid figuris his maxime notetur.

Conferantur IOH. AVGVSTI ERNESTI duo programmata de muneribus Christi. Lipsiae 1768. 1769.

CAPVT XI.

DE ORDINE SALVTIS.

§. CXC.

Euangelium siue doctrina de Christo continet rectam verae religionis institutionem (§. XCVI.), cum vero tota religio ad hominis felicitatem promouendam est

parata (§. XCIX.); nulla autem hominis felicitas ſine ſincera virtute locum habet (§. XXI. et XL.): *praecipuus doctrinae euangelicae finis* eſt, vt homo a peccatis liberetur et ad omnem virtutem colendam fiat aptus Tit. II, 11-12. Eo tendunt omnia evangelii praecepta 1 Tim. I, 5. c. VI, 3. etiam eius promiſſiones ſunt virtutis haud fucatae et conſtantis vel incitamenta, vel praemia Rom. II, 6. 7. 2 Cor. VII, 1. Deus, qui in euangelio gratiam et benignitatem ſuam hominibus offert, vult quoque, vt ea ſe reddant dignos; ideo certas poſuit conditiones, ſub quibus eam conſequi poſſent Matth. XXII, 1-14. Chriſtus non niſi eorum, qui re vera peccatis renuntiant et vitae ſanctae ſtudent, eſt ſeruator 2 Cor. V, 15. Tit. II, 14. 1 Ioh. III, 8.

§. CXCI.

Ordo ſalutis eſt modus, quo quis bonorum in euangelio promiſſorum reddi poſſit particeps. *Bona* haec ſunt remiſſio peccatorum Matth. XXVI, 28. Rom. III, 25. continuus Dei fauor et auxilium praeſens Matth. VII, 11. Rom. V, 1. 2. c. VIII, 28. 31. 32. et aeterna felicitas Rom. VI, 23. 2 Tim. I, 10. Vt his bonis homo fruatur, ab illo requiruntur: 1) *reſipiſcentia* Lucae XXIV, 47. Act. II, 38. c. XVII, 30. 2) *fides* Ioh. III, 16. Act. XVI, 31. et 3) *perpetuum vitae ſanctae ſtudium* 2 Theſſ. II, 13. Hebr. XII, 14. Saepe vnum ex his tribus ſolum memoratur et tunc comprehendit omnia, illi obſeruanda, qui ſalutem per Chriſtum partam adipiſci vult. Ratio haec, qua Deus homines a miſeria peccatorum liberat et eorum proſpicit felicitati, dici ſolet *foedus gratiae*, quia omnia beneficia, in euangelio promiſſa, gratiae diuinae accepta ſunt referenda Eph. II, 8. 9.

BENIAMIN HOADLY in libro anglice ſcripto: *de ratione Deo ſub euangelio placendi*, et cuius tam galli-

gallicam Amſtelod. 1720. 8. quam germanicam verſionem Magdeburgi 1761. 8. euulgatam habemus, hominem chriſtianum, ſi certam ſalutis ſuae ſpem habere vult, praeter ſidem, qua ratione peccatorum, ſuam conuerſionem antecedentium, iuſtificetur, ad ſequentes conditiones explendas adſtrictum eſſe docet: 1) omnia peccata voluntaria ipſi eſſe vitanda, 2) virtutes illis oppoſitas ei colendas, 3) eum oportere ſine omni vindictae ſtudio iniurias ſibi ab aliis illatas condonare, 4) ſi quem defraudauit, eius eſſe, ipſi hoc modo erepta ad exemplum Zachaei reſtituere.

§. CXCII.

Cum homo, qui antea fuit malus, incipit bonus fieri, *reſipiſcere* Lucae XV, 7. 10. Act. III, 19 et *ſe conuertere* Act. XIV, 15. c. XXVI, 18. 2 Cor. III, 16. dicitur, id quod proprie exprimitur, cum iubemur recedere a malo et bonum facere 1 Petri III, 11. Eſt ergo *reſipiſcentia*, ſiue *conuerſio hominis*, initium emendationis eius; interdum mutationem eius in melius continuatam et maiorem in virtute progreſſum complectitur Matth. III, 8. Iac. V, 19. 20. et *renouatio* Rom. XII, 2 Epheſ. IV, 23. Tit. III, 20. ac *regeneratio* Ioh. III, 6. Tit. III, 5; homo autem ſic mutatus noua creatura 2 Cor. V, 17. Gal. VI, 15 vocatur et veterem hominem exuiſſe ac nouum induiſſe Epheſ. IV, 22. Col. III, 9. 10. dicitur. Si quis reſipiſcere vult, 1) vt peccata ſua agnoſcat, ſiue prioris vitae rationem improbet Ier. III, 13, et Deo culpam ſuam confiteatur 1 Ioh. I, 8. 9. 2) vt ob minus recte facta doleat eumque eorum poeniteat Ioel II, 12. 13. 2 Cor. VII, 10. confer. etiam Lucae XV, 21. c. XVIII, 13. 3) vt firmum propoſitum in poſterum a peccatis ſibi cauendi et bene agendi capiat il-

ludque etiam exſequatur Pſ. CXIX, 106. Ieſ. I, 16. 17. neceſſe eſt. Qui veram agit reſipiſcentiam, mala a ſe commiſſa, quantum in ſe eſt, reſarciet Ieſ. LVIII, 6. 7. Lucae XIX, 8. et cum vult, vt Deus ſibi contra legem ſuam acta ignoſcat, condonabit etiam aliis, qui ſe iniuria affecerunt Matth. VI, 12. 14. 15. c. XVIII, 23-35.

§. CXCIII.

Cum reſpicientia coniuncta eſſe eamque ex parte praecedere debet *fides*, quae eſt certa perſuaſio de veritate doctrinae euangelicae et omnium eorum, quae Deus nobis reuelauit Ioh. XX, 30. 31. Hebr. XI, 1. 6. Includit fides: 1) cognitionem rerum nobis maxime ſalutarium, quae animum noſtrum ad vera bona amanda et ad omnia vitia fugienda ſummopere excitare poſſit Ioh. XVII, 3. Rom. X, 14. 1 Ioh. V, 4. in qua conſiſtit *mentis illuminatio* Eph. I, 18. 2 Cor. IV, 6. 2) aſſenſum rebus diuinis et inprimis promiſſis euangelii datum Ioh. III, 33. Act. VIII, 37. 3) fiduciam in auxilio diuino et in gratia, per Chriſtum nobis exhibita, poſitam Rom. IV, 20. 21. c. VIII, 38. 2 Tim. I, 12. Hebr. X, 22. 35. *Credunt Deo*, qui promiſſis eius confidunt Gen. XV, 6. *credunt in Chriſtum* Ioh. III, 16. Act. XI, 17. Gal. II, 16, Philip. I, 29. qui doctrinam eius tanquam véram recipiunt Matth. XI, 29. 30. Ioh. I, 12. c. XII, 48. Act. II, 41. c. XVII, 11. Col. II, 6. Verae fidei, ad ſalutem hominis neceſſariae, naturam multi in tota mentis eius ad Chriſtum conuerſione atque meriti eius apprehenſione conſiſtere arbitrantur; ſed cum omnis ſpes, in Chriſto et bonis ab eo comparatis poſita, vana ſit et fallax, niſi quis praeceptis eius morem gerat Matth. VII, 21. 22. Lucae VI, 46. rectius alii fidem in Chriſtum contendunt eſſe fiduciam in eo collocatam, cui ſociatum ſit ſtudium ipſi placendi. Saepe enim totius

vitae

vitae christianae ad euangelii praescripta conformata ratio *fides* vocatur Act. XVI, 31. Gal. V, 6. Iac. II, 17. Is ergo fidem Christo habet, qui se in disciplinam eius tradit, eo duce vtitur in via ad salutem aeternam, omnem eius doctrinam amplectitur atque in vsum suum conuertit.

Fidem, quae hominem iustificat et de salute sua reddit certum, recte dixeris cognitionem practicam ordinis salutis. A quibusdam fides distinguitur: 1) in *historicam*, qua quis rebus diuinis, quas credit, non mouetur ad pietatem Iac. II, 19. 2) in *temporariam*, quae est eorum, qui sui tantum commodi in veritatis professione rationem habent Lucae VIII, 13, 3) in *fidem miraculorum*, quae illis tribuitur, qui nihil, nisi miraculo confirmatum, credere volunt Ioh. IV, 48. vel etiam qui sibi persuadent, se facultate miracula patrandi gaudere 1 Cor. XIII, 2. 4) in *fidem maxime salutarem* siue *saluificam*, quae certam salutis aeternae spem parit et quae vna est ex tribus praecipuis hominis christiani virtutibus 1 Cor. XIII, 13. Vocabulum graecum πίστις notat: 1) assensum quemcunque, verbis alterius datum Lucae XVIII, 8. 2) persuasionem de re quadam Rom. XIV, 23. 3) certam rei alicuius confirmationem Act. XVIII, 31. 4) fidem in promissis et in factis constantiam siue fidelitatem Matth. XXIII, 23. Rom. III, 3. 1 Tim. IV, 12. c. VI, 11. 5) spem et fiduciam in Deo positam Hebr. XI, 6. Iacobi I, 6. 6) religionem christianam, in omni complexu sumtam Rom. I, 5. 2 Cor. XIII, 5. 1 Petri I, 5. 7. 9. 7) doctrinam religionis christianae Rom. III, 22. 31. Tit. I, 1. 8) eius externam professionem Rom. I, 8. Ephes. I, 15. Iac. II, 14. 17. Conf. SVI-

CERI *Thesaurus ecclesiasticus* sub voce πίςις et GVIL. ABR. TELLERI *Wörterbuch des N. T.* sub voce *Glaube*.

§. CXCIV.

Resipiscentiam et fidem, si vtraque genuina est, sequitur *perpetuum vitae sanctae studium.* Qui enim vere resipiscit, in eo maxime elaborabit, vt in dies fiat melior et vt, repudiata prioris vitae ratione, aliam instituat, voluntati diuinae consentaneam Rom. XII, 2. c. XIII, 11-14. Ephes. II, 10. 1 Ioh. I, 9. Fides etiam, quae hominem vera bona a falsis distinguere docet, non potest non voluntatem eius flectere, vt illa amet et haec auersetur Act. XV, 9. 2 Petri I, 5-8. Vita sancta hominis christiani consistit in sedula omnium, ad quae obstrictus est, officiorum functione Tit. II, 11-12. et complectitur pietatem, iustitiam et omnes alias virtutes Matth. V, 20. Ephes. IV, 24. Philip. IV, 8. 1 Tim. II, 2. c. VI, 11. Notandum vero est, saepe, vt in plerisque locis hic adductis, pietatem, sanctitatem et iustitiam pro quacunque poni virtute. Actiones bonas, quae dicuntur *bona opera* Matth. V, 16. Col. I, 10. 1 Tim. VI, 18. Tit. III, 8. Christus deriuat ex amore Dei et proximi Matth. XXII, 35-40. Vti ad omnem veram virtutem, sic etiam ad Christianam, sequentia requiruntur: 1) vt recti cognitione nitatur Rom. XIV, 23. Col. I, 9. 10. 2) vt sit sincera, ab omni simulatione aliena et magis ad interna, quam externa, referatur Matth. XV, 8. Ioh. IV, 24. 1 Tim. I, 5. 3) vt sit vniuersalis i. e. tam late pateat, quam officiorum vniuscuiusque ambitus Iac. II, 10. 4) vt sit constans et ad vitae finem continuetur Matth. X, 20. Rom. II, 7. Hebr. X, 38. Apoc. II, 20. Magna potest esse virtutis christianae praestantia ob incitamentorum et adiumentorum, ad eam perficiendam

ciendam idoneorum, copiam; quoniam autem non omnes iis, vt par eſt, vtuntur, etiam in boni ſtudio plerorumque adhuc multa deſiderantur, et quamuis alius alio magis in virtute excellat, nemo tamen in ea ita eſt conſummatus, vt nihil amplius illi deſit Philip. III, 12. 13.

Notae bonorum operum vulgo hae ponuntur eſſe: 1) quod debeant cum lege diuina conſentire Matth. XV, 9. Col. II, 18. 2) ex vera fide originem ducere Rom. XIV, 23. Hebr. XI, 6. 3) ad gloriam diuinam promouendam tendere 1 Cor. X, 31. Obſeruandum vero eſt, has notas explicatione quadam indigere, ſi illas recte adhibere velimus. Nam quod ad primam attinet, ad legem diuinam referendum eſt non tantum, quod Deus de voluntate ſua reuelauit, ſed etiam, quod de illa ex ratione cognoſcimus et quod leges ciuiles, bene conſtitutae, praecipiunt. Secunda nota valet tantum de praeſtantiori virtute chriſtiana, nec ita eſt intelligenda, ac ſi nullus, qui fide in Chriſtum caret, aliquid boni facere poſſit; nam vterque locus, qui ad notam hanc adſtruendam allegatur, non de fide in Chriſtum agit: quia in priori fides animi perſuaſionem de bonitate eius, quod facimus, et in poſteriori fiduciam in Deo poſitam, ad omnem religionem neceſſariam, ſignificat. In applicatione tertiae notae diſtinguendum eſt inter id, quod immediate et quod tantum mediate ad honorem Dei peragitur. Nam haud neceſſe eſt, vt omnis actio bona immediate ad honorem Dei ſpectet. Etiam hoc addendum, proprii honoris ſtudium in ſe laudabile eſſe, ſi modo eorum, quae Deo debemus, non obliuiſcamur. Tunc demum gloriae cupido taxatur, 1) ſi quis vanam et nimiam ſectatur gloriam Act. XII, 21-23. Gal. V, 26. Philip. II, 3.

II, 3. 2) si in felici rerum suarum successu Dei nullam habet rationem Dan. IV, 27. seqq. 3) si actiones pietatis laudis tantum caussa committit Matth. VI, 1-6. 16-18. De singulis virtutibus, quae hominis christiani vitam ornant, ex instituto in Theologia morali agetur.

§. CXCV.

Cum Deus omnium hominum salutem vult 1 Tim. II, 4. etiam omnibus hominibus subsidia quaedam, ad felicitatem suam procurandam facientia, suppeditat Rom. I, 19. 20. eosque egregiis mentis facultatibus, ipsis concessis, et variis aliis in eos collatis beneficiis commouere studet ad veritatem sibi salutarem cognoscendam et virtutem amandam Act. XVII, 26. 27. (§. CLX.) Hoc modo omnes homines Deus *vocat* i. e. inuitat ad perceptionem bonorum ipsorum naturae conuenientium. Peculiari etiam reuelatione ab antiquissimis temporibus, praecipue in gente Hebraeorum salutis viam delineauit (§. LIX.). Maiora adhuc et plura subsidia ad salutem suam procurandam Deus hominibus offert per doctrinam euangelii Rom. I, 16. Ephes. I, 13. omnium gentium vsui destinatam Matth. XXVIII, 19. Rom. X, 18. Per hanc Deus vnicuique praescripsit modum, quo ad veram felicitatem peruenire possit, per eam homines vocat e tenebris, nempe ignorantiae et erroris, ad admirandam suam lucem i. e. praeclaram rerum vtilissimarum scientiam 1 Petri II, 9. ad sanctitatem 1 Thess. IV, 7. ad communionem filii sui Iesu Christi 1 Cor. I, 9. ad aeternam suam gloriam in Christo Iesu 1 Petri V, 10. ad vitam aeternam 1 Tim. VI, 12. Dicitur haec *vocatio* superna Philip. III, 14. et coelestis Hebr. III, 1. Ii, quibus doctrina euangelii annuntiatur eamque probant, appellantur *vocati* Rom. I, 6. 7. 1 Cor. I, 2. 24. Hebr.

IX,

IX, 15. Iudae v. 1. Interdum tamen vocati diſtinguuntur ab electis Matth. XXII, 14.; quia non omnes, qui occaſionem habent religionem chriſtianam cognoſcendi et qui ad eam amplectendam et colendam incitantur et inſtituuntur, ex animo illius ſunt ſtudioſi. Nam alii variis praeconceptis opinionibus et dubiis impediuntur, quo minus de veritate et praeſtantia eius aliquid certi habeant; alii ſola eius profeſſione externa contenti euangelii promiſſiones ſibi arrogant, praecepta eius haud curantes. Quam diuerſus auditi verbi diuini ſit effectus, dilucide exponit Chriſtus in parabola, quam Matth. XIII, 3-8. 18-23. legimus. Diſcrimen, quod nonnulli inter *vocationem externam* et *internam* ponunt, dum hanc ad electos referunt et ſolam volunt eſſe efficacem; illam vero debito fructu carere et ob defectum gratiae ſupernaturalis nihil ad plenam hominis emendationem conferre arbitrantur, tantum ad opinionem de abſoluta praedeſtinatione confirmandam eſt excogitatum et parum praeſidii in locis Scripturae ſacrae v. g. Pſ. XXXIII, 9. Ieſ. XLVIII, 13. Act. XVI, 14. Rom. IV, 17. quae ad illud ſtabiliendum adferri ſolent, habet. Si vero ita definitur, vt ex euentu iudicetur, vtrum vocatio fuerit efficax vel minus, et illa interna, haec vero externa vocetur, non eſt quod improbari poſſit.

Deum homines etiam per rationem ad ſalutem vocare, nonnulli ideo negant, quod per rationem nihil de Chriſto, ſalutis noſtrae autore, cognoſcimus. Sed cogitandum eſt, vocationem hanc vniuerſalem a vocatione, quae fit per euangelium, diuerſam quidem in quibusdam eſſe, magnam tamen habere vim ad hominis commoda promouenda, ſi accedat diligens eius vſus. Confer. IOH. GOTTLIEB TÖLLNERI *Beweis, daſs Gott die Menſchen durch die Offenbarung der Natur zur Seeligkeit*

keit führet, als der zweyte Theil der wahren Gründe, warum Gott die Offenbarung nicht mit augenscheinlichen Beweisen versehen hat. Züllichoviae 1766. 8. Vocationem per euangelium nunquam fuisse vniuersalem, satis constat; quare autem factum sit, vt doctrina religionis christianae non omnibus orbis huius populis innotuerit, ex variis causis est repetendum, quarum quasdam adfert DRIEBERGE in *libro de praedestinatione et gratia* p. 50-53. qui etiam cap. IX de vocatione hominum ad salutem docte disserit.

§. CXCVI.

Vocat Deus hominem ad salutem sub certis conditionibus (§. CXC.), quae ordinem salutis constituunt (§. CXCI); homo itaque tunc demum *vocationi diuinae paret*, cum has conditiones, quantum in se est, implere studet i. e. cum resipiscit, in Christum credit et vitam agit sanctam. In omni quidem opere salutis plurima ab insigni et immerita bonitate, siue *gratia* Dei sunt exspectanda Ephes. II, 4-10; sunt tamen etiam quaedam hominis partes (§. CLVIII.), quas si negligit, bonis egregiis, quae consequi potuisset, sua caret culpa. Vti eum, qui in rebus huius vitae prospero successu gaudere et in bono proposito opem diuinam sibi promittere vult, omnem ad negotia sua bene administranda curam adhibere et, quicquid agit, prudenter agere oportet: sine causa enim coelum accusat, qui sibi ipse deest, quo minus voti sui fiat compos; sic in rebus ad salutem aeternam spectantibus haud leue requiritur studium in iis peragendis, quae ad eam adipiscendam sunt necessaria Philip. II, 12. Hebr. XII, 14. 2 Petri I, 10. 11. Subsidiis enim, quae Deus homini concedit ad salutem suam procurandam, recte est vtendum et omnis quaerenda

occa-

occaſio in iis, quae mentis emendationi inſeruiant, proficiendi. Hoc quoque valet in vocatione diuina, eius enim, qui vocatur, eſt, ad verbum diuinum, ſiue auditum, ſiue lectum, diligenter attendere, res ſibi traditas ſaepius voluere animo, in rationes, quae doctrinae euangelicae fidem faciunt, magno veritatis inquirere amore, vitiorum turpitudinem et virtutis praeſtantiam penitus cognoſcere et quaeuis impedimenta, bono ſuo inſtituto obſtantia, enixe vitare Act. VIII, 30. ſeqq. c. XVII, 11.

§. CXCVII.

Ex mente multorum *gratia diuina*, qua homo ad reſipiſcentiam et fidem perducitur, conſiſtit in ſupernaturali operatione ſpiritus ſancti. Vti ſibi perſuadent, in ſalutis negotio homo nihil, Deus omnia facit Philip. II, 13; quia homo in peccatis mortuus eſt Epheſ. II, 5. non niſi omnipotenti ſummi Numinis vi ad nouam vitam reſuſcitari Rom. VI, 13. Epheſ. V, 14. Col. II, 3. regenerari Tit. III, 5. 1 Petri I, 3. 23. noua creatione ad imaginem Dei formari 2 Cor. V, 17. Epheſ. IV, 24. Col. III, 10. poteſt. Ob eandem cauſam Deus homini cor et ſpiritum nouum Ezech. XXXVI, 26. 27. reſipiſcentiam, et fidem donare Ioh. VI, 44. Act. XI, 18. Epheſ. II, 8. dicitur. Quoniam omne ſupernaturale eſt miraculum, quicquid per hanc gratiam efficitur, *miraculum in regno gratiae*, ad illud a miraculo in regno naturae diſtinguendum, appellatur. An autem gratiae huic reſiſti et an ſemel accepta amitti poſſit, non eadem omnium illam probantium eſt ſententia; nam Particulariſtae vtrumque negant et Vniuerſaliſtae vtrumque affirmandum eſſe cenſent. Sed ſi quis ſine partium ſtudio ea, quae de gratia diuina, hominem conuertente, in ſacris litteris leguntur, examinauerit, facile animaduer-

tet, saepe de illa locutiones adhiberi improprias et hebraicas, non secundum litteram interpretandas; intelliget etiam, aliam esse rationem donorum Spiritus sancti extraordinariorum, quae Deus Apostolis et quibusdam aliis eorum tempore est largitus, et aliam donorum Spiritus sancti ordinariorum, omnibus vera fide in Christum praeditis promissorum, et longe diuersam fuisse conuersionem Apostoli Pauli, centurionis Cornelii et quorundam aliorum a conuersione eorum, qui consueta ratione ope verbi diuini ad meliorem mentem perducuntur; perspiciet denique, operationem Spiritus sancti, siue vim diuinam, cum euangelio coniunctam, in rebus, quas continet, sitam esse, quae non nisi propter primam reuelationis originem (§. LIX.) quodam modo *supernaturalis* sit dicenda.

Vulgatior *doctrina de gratia supernaturali*, qua homo conuertatur, AVGVSTINVM auctorem habet. Cum ipse, vti *Confessionum* Libro VIII. narrat, voce coelesti ad vitae suae rationem mutandam esset excitatus, non nisi simili miraculo plenam cuiuscunque hominis emendationem fieri existimauit. Gratiam totam a praedestinatione pendere (conf. scholion §. CLIX.), eam esse irresistibilem, non locum habere sine sacramentis, hominem sine illa nihil boni facere posse, nullam eius in rebus ad salutem spectantibus esse libertatem, voluit. Pelagium, ab hac eius sententia discedentem, contendit esse haereticum. Quoniam Augustini de gratia decreta, praecipue in ecclesia latina, a plerisque oraculorum instar sunt habita, non est mirum, ab eius tempore tot iis fuisse addictos, qui aliter sentientes Pelagianorum et Semi-Pelagianorum nomine infamare sint soliti et quamuis tempore reformationis ERASMVS et MELANCH-

THON

THON veterem ORIGENIS et aliorum quorundam ecclesiae patrum de gratia Dei et libero hominis arbitrio sententiam, vt rectiorem, aliis commendare studuerint; pauci tamen erant, qui illis adstipularentur, iique, qui in hac re Melanchthonem sequebantur, ab aduersariis, qui eos Synergistas vocabant, grauissimi accusabantur erroris. Altera in principio Protestantium pars, si a paucis discesseris, omnibus Augustini de gratia placitis suum adiecit calculum, altera, id quod variarum litium fuit causa, eorum tantum quaedam retinuit; postea quoque tam in vtraque Protestantium, quam in Catholico-Romana ecclesia multum de gratia disceptatum est et adhuc disceptatur. Cum omnia bona, quibus homo fruitur, a gratia diuina proficiscantur 1 Cor. IV, 7. Iac. I, 17; merito ad eam referuntur: 1) omnes naturales hominis dotes, 2) circumstantiae bonae, in quibus est positus, quae ipsi Deum et veritatem valde vtilem cognoscendi dant occasionem, 3) donatio remediorum, quibus ad fidem et salutem perducatur, 4) confirmatio et conseruatio in bono proposito. Si quaeritur, qua ratione gratia diuina in hominis conuersione operetur? fatendum quidem est, in ea explicanda non facile omnes difficultates tolli posse; maxime tamen cum Scriptura sacra et sana ratione consentire videntur, qui dicunt: 1) Deum gratiam suam nemini negare, qui externis ad veram salutem idoneis remediis recte vtitur, 2) gratiam Dei in mentem hominum agere modo, naturae eorum conuenienti; flectitur ergo voluntas non vi, sed persuasione et veritatis demonstrationibus, quas verbum Dei continet, 3) non certo quidem decerni posse, quae Deus agat in salutis negotio et quae homo

agere debeat; hominis tamen esse officium, omnem dare operam, vt spem haud dubiam salutis suae habeat. Confer. IOHANNIS DRIEBERGE *de praedestinatione et gratia liber* cap. X. seqq. et GVIL. WARBVRTONI liber anglice scriptus huius tituli: *doctrina de gratia vel officio et operationibus Spiritus sancti vindicata.* Londini 1763. 2 Vol. 12. Quantopere fallantur, qui quosuis mentis vehementiores motus, ex lecto vel audito verbo Dei ortos, operationi Spiritus sancti adscribant, ostenditur in libro germanico: *Gedanken über den Werth der Gefühle in dem Christenthum*, cuius tertia editio Lipsiae 1769. 8. prodiit. Ob quam caussam gratia dici possit supernaturalis, exponitur in scripto: *Von dem übernatürlichen in den Gnadenwirkungen.* Erlangae 1775. 8.

§. CXCVIII.

Deus hominem resipiscentem et vera fide praeditum *iustificat* i. e. non condemnat, ei peccata antea commissa condonat eumque singulari complectitur fauore Act. XIII, 38. 39. Rom. III, 25. 2 Cor. V, 19. Vocabulum hebraeum הִצְדִּיק et graecum δικαιοῦν, *iustificare*, saepe sensu forensi adhibentur et significant: aliquem iustum i. e. innocentem et nulla poena dignum declarare Deut. XXV, 1. Prou. XVII, 15. Lucae XVIII, 14. Rom. II, 13. Hac notione vox haec sumitur in doctrina de *iustificatione*, quae est beneficium gratiae diuinae Rom. III, 23. 24. Ephes. II, 8. 9. 2 Tim. I, 9. Tit. III, 4-6. per Christum partum et confirmatum Rom. III, 24. 25. c. IV, 25. c. V, 2. 11. Ephes. II, 18. 1 Petri III, 18. quo is, qui in Christum credit, peccatis suis absoluitur et spem consequitur vitae aeternae. Fides, qua homo iustificatur, est vera (§. CXCIII.), quae ipsum impel-

impellit ad omne bonum peragendum Rom. V, 1-5. 2 Petri I, 5-7. Excluduntur in iustificatione bona opera Rom. III, 28. Gal. II, 16. et intelliguntur partim opera legis externa et tantum opinata, quibus Iudaei gloriabantur, partim facta in se bona antea peracta, si quis nimis illis confidit et suam non agnoscit infirmitatem; eadem tamen, nempe verae notae, requiruntur, si quis de iustificatione sua velit esse certus Iac. II, 17. 18. 24. Per iustificationem homo recipitur in gratiam Dei Rom. V, 1. a mala conscientia liberatur Hebr. X, 22. filii loco habetur, qui quaevis bona et inter ea vitam aeternam a Deo sperare possit Ioh. I, 12. Rom. VIII. 14-17.

Aliter ac Protestantes iustificationem definiunt Romano-Catholici eamque ponunt in mentis mutatione, qua homo fit iustus i. e. bonus et pius. Volunt nempe, verbum *iustificare* saepe quoque idem valere, quod iustum reddere, vti Ies. LIII, 11. Dan. XII, 3. Rom. VIII, 30. 1 Cor. VI, 11. Tit. III, 7. Apoc. XXII, 11. et non sola fide hominem iustificari, sed fidem tantum esse primum opus bonum, quod plura alia sequi debeant. Tribuunt quoque bonis operibus meritum, quamuis dicant, hominem gratis, siue sine merito, iustificari. Cum LVTHERVS et reliqui reformatores animaduerterent, ex opinione de meritis bonorum operum ortas esse indulgentias, ea, quae de hominis iustificatione tunc docebantur, diligentius examinabant et praecipue Paulum ducem secuti iustificationem, quae fit per fidem, a sanctificatione, ad quam bonorum operum requiritur studium, distinguebant. Neque sine causa bonis operibus, quae tunc iactabantur, quae a vera virtute longe erant aliena atque non nisi superstitionem redolebant, omne detrahebant pretium. Quia vero neque fidei, qua

homo iustificetur, neque bonorum operum natura semper, vt par erat, describebatur, multi hac doctrina de iustificatione valde sunt abusi, qui fidem i. e. vti existimabant, fiduciam in Christo positam solam ad salutem hominis christiani sufficere; bona autem opera ad salutem non esse necessaria contendebant. Fidem ipsam considerandam esse non vt conditionem, ab homine praestandam, sed vt instrumentum, quo meritum Christi arripiatur et ad meritum Christi etiam iustitiam eius, siue vitam sanctam, quae credenti imputetur (schol. §. CLXXXVI.), pertinere arbitrabantur. Fuerunt autem haud pauci, qui viderent, in doctrina de iustificatione fidem nimis extolli et bona opera contemni; ideo recte iudicauerunt, vel fidem ita esse explicandam, vt, nisi totam vitam christianam, tamen firmum propositum omnem sectandi virtutem complectatur, vel duplicem statuendam esse iustificationem, primam, quae fit per fidem solam in principio conuersionis, et secundam, siue vltimam, quae fit per bona opera et quae tunc demum locum habet, cum homo ad vitae finem in pietate et virtute colenda perseuerauit. Duplicem iustificationem inter alios tuetur IOH. TAYLOR in *claui ad scripta apostolica* §. 275-284. quae praemissa est eius *paraphrasi et notis in Epistolam Pauli ad Romanos*, cuius anglice scriptae germanica versio Potsdampii 1759. 4. est euulgata.

§. CXCIX.

Ad vitam piam, siue sanctam, ad quam homo christianus vocatus est (§. CXCIV. CXCV.), agendam, indiget auxilio diuino, quod ipsi non deerit, si de eo acquirendo debita ratione fuerit sollicitus. Ob subsidia, quae

quae Deus homini ad ſanctam vitam agendam ſuppeditat, eum *ſanctificare* dicitur 1 Theſſ. V, 23. Eſt ergo *ſanctificatio* beneficium gratiae diuinae, quo homo a ſordibus vitiorum magis magisque liberatur et aptus redditur ad maiorem ſemper in omni virtute progreſſum faciendum. Diſtinguenda eſt haec interna ſanctificatio ab externa, qua omnes, qui religionem chriſtianam profitentur, in populum Dei ſunt ſegregati; hinc fit, vt ſaepius omnes Chriſtiani *ſancti* Act. IX, 13. 32. 41. Rom. I, 7. c. XII, 13 et *gens ſancta* 1 Petri II, 9. appellentur. Sanctificat Deus hominem per verbum et ſpiritum. Verbum Dei et inprimis euangelium non ſolum nos docet, quid agendum ſit, vt Deo placeamus et quaenam ſit vera virtus, quae hominem chriſtianum deceat; ſed etiam multas et maximas rationes mouentes, quae vnumquemque ad ſinceram pietatem colendam poſſint impellere, in ſe continet atque exempla Dei, Chriſti et quorundam pietate excellentium hominum nobis proponit imitanda, quantaque ſit vitiorum turpitudo et peſtis, aliis exemplis confirmat. Cum euangelio coniunctus eſt ſpiritus, ſiue vis diuina, quae hominis mentem renouat eamque veri et boni ſenſu implet; ideo ſanctificatio ſiue renouatio hominis adſcribitur Spiritui ſancto Tit. III, 5. Saepe vero ipſa hominis mens renouata, ſiue laudabilis animi affectus, quo non cupiditatibus prauis, ſed rectae rationi paret et omni ſtudet virtuti, ſpiritus Rom. VIII, 5. Gal. V, 16-22. ſpiritus ſanctus Rom. V, 5. c. XIV, 17. 1 Cor. VI, 19. ſpiritus Dei et Chriſti Rom. VIII, 9. 14. vocatur.

§. CC.

Vera virtus, ſiue *vita ſancta, ad conſtantem et aeternam ſalutem eſt neceſſaria;* quia ſine illa nulla, multo minus aeterna felicitas, locum habere poteſt

 (§. CXC.).

(§. CXC.). Praestantissimis enim bonis semper caret, qui virtute destituitur, praeterea vita huius aeui non nisi vt praeparatio ad meliorem, post mortem futuram, est consideranda Philip. III, 20. Hebr. XIII, 14. eumque, qui perpetua et interiori Dei communione frui vult, ipsi similem et pura atque sancta mente praeditum esse oportet Matth. V, 8. Ephes. IV, 24. 1 Ioh. III, 2. 3. Hebr. XII, 14; ideo grauioribus et voluntariis vitiis dediti ab aeterna vita excluduntur 1 Cor. VI, 9. 10. Gal. V, 19-21. et in futuro iudicio eorum, quae vnusquisque in hac vita egerit, praecipue ratio habebitur Matth. XXV, 34-36. Rom. II, 6. Interdum quidem tantum iis, qui fide gaudent, aeterna promittitur vita Ioh. III, 16. Act. XVI. 31. Rom. X, 10; sed tunc semper vera intelligitur fides, bonis operibus testata Gal. V, 6. Quamuis etiam sanctificatio sit beneficium diuinum (§. CXCIX.); hominis tamen est, omnem adhibere curam, vt recti cognitionem et virtutis amorem perficiat atque vt in iis, quae sui sunt officii, peragendis sit diligentissimus 2 Cor. VII, 1. Ephes. II, 10. Tit. II, 14. c. III, 8. 2 Petri III, 18. Quicunque virtutis pulchritudinem eiusque praestantiam cognouerit et, quanta eam consequantur praemia, secum reputauerit 1 Tim. IV, 8. 2 Cor. VII, 1. eam non onus sibi impositum, sed optimam suis commodis consulendi habebit rationem. Praemia piis promissa et in his vita aeterna dicuntur quidem *merces* et *remuneratio* Matth. V, 12. c. VI, 1. Lucae XIV, 14. Hebr. VI, 10. c. X, 35. c. XI, 6. 26; quia autem vel optimi virtus adhuc imperfecta est Philip. III, 12. quia etiam ad ea, quae quis bene agit, est obligatus Lucae XVII, 10. et quia praemia haec etiam maxime egregiis actionibus longe sunt maiora Rom. VIII, 18: meritum proprie dictum bonis piorum operibus non est tribuendum, ideo vita aeterna gratuitum Dei donum appellatur Rom. VI, 23.

Quo-

Quoniam in ecclesia Catholico-Romana merita sanctorum nimis praedicabantur, Protestantes, vt hunc errorem refutarent, bonis operibus nullum inesse meritum contenderunt; quod tamen non ita est accipiendum, ac si bona opera nullius valoris atque plane sint contemnenda. Scholastici *meritum de condigno* vocauerunt, cui merces ex iure stricto debetur, et *meritum de congruo*, cum aequitas postulat, vt opus quoddam compensetur. Non vero inter ecclesiae Romanae doctores conuenit, vtrum bona opera sint merita de condigno, an de congruo. Confer. LVD. *le* BLANC in *thesibus theologicis* p. 588-619. vbi agit de relatione bonorum operum ad vitam aeternam.

§. CCI.

Virtus hominis christiani tunc demum laudem meretur, si fuerit *constans* (§. CXCIV. n. 4.) et non decreuerit aut defecerit, sed ad vitae finem permanserit inuicta et continuo maiora ceperit incrementa. Hanc *in virtute constantiam*, quam *perseuerantiam sanctorum* vocant, alii electionis et gratiae diuinae, quae semel donata nunquam amitti possit, effectum esse volunt Rom. VIII, 30; quia Deus et potest et vult vere pios, quos in fidem suam recepit, ab omni lapsu, quo in perniciem praecipitentur, custodire, eumque gratiae suae nunquam poenitet Ies. LIV, 10. Rom. XI, 29. 1 Cor. X, 13; quia Christus eorum, quos pater ipsi donauit, perpetuam gerit curam et pro illis intercedit Ioh. VI, 39. c. X, 28. Hebr. VII, 25; et quia Spiritus sanctus nunquam auxilio suo iis deest, qui vi eius sunt renouati Ioh. XIV, 16. 17. 1 Ioh. II, 27. c. III, 9. Alii contra Deum eos tantum elegisse, quos praeuidit in bono peragendo et in pietatis exercitio constantes futuros esse, eosque

adiuuare, qui omni vigilantia et studio quamcunque peccandi occasionem vitant et sedulo sibi cavent, ne prauis cupiditatibus ad vitia abripiantur et, si forte officii sui obliti aliquid mali commiserunt, statim resipiscunt atque se corrigunt; quia vero nonnulli, qui iam boni erant, in virtute retinenda sunt negligentiores, facile fieri posse, vt corrumpantur, fidem amittant et excidant gratia Dei, adserunt: id quod variis Scripturae sacrae locis v. g. Ezech. XVIII, 24. Matth. XIII, 20. 21. 2 Petri II, 18-22. Hebr. VI, 4-8. exemplis lapsorum 1 Tim. I, 19. 20. 2 Tim. II, 17. 18. et adhortationibus ad perseuerantiam, quae indicant, contrarium timendum esse Rom. XI, 20-22. 1 Cor. X, 12. confirmare student. In disputatione hac plerumque duae quaestiones, valde diuersae, inter se confunduntur, nempe: 1) num electus plane e gratia Dei excidere possit? 2) num vera fides et pietas possint amitti? Ad priorem quaestionem aliter respondendum est, ac ad posteriorem. Nullos enim alios Deus elegit, nisi qui in bono sunt constantes; non ergo eiusmodi electi e gratia Dei excidere possunt. Quod si dicamus, nullum bonum fieri posse malum, statuendum quoque esset, omnes, qui per tempus aliquod boni fuerunt et deinde euaserunt mali, tantum fuisse hypocritas, quam diu boni habebantur; quoniam autem nemo de animi hominis interiori sensu, nisi Deus, semper certo iudicare potest; temerarium foret, hoc in genere affirmare. Ad totam hanc rem recte diiudicandam id quoque est notandum, gratiam Dei, hominem in virtute conseruantem, nunquam absolutam, sed tantum conditionatam esse et semper id homini agendum, vt illa bene vtatur et ne illa se reddat indignum.

Secundum AVGVSTINVM etiam electi per aliquod tempus fidem amittere et reprobi vera fide gaudere possunt; licet illi semper ante vitae finem per gratiam

tiam, qua regeniti sunt, ex lapsu resurgant et hi tandem in sua pereant impietate. Vid. VOSSII *Historiae Palagianae* Lib. VI. th. II. Confer. etiam IOH. DRIEBERGE *de praedestinatione et gratia* c. XIV-XVII. et IOH. ERHARDI KAPPII *Sammlung einiger vertrauter Briefe, welche zwischen dem Freyherrn* G. W. *von* LEIBNITZ *und dem Herrn Hofprediger* D. E. IABLONSKI, *auch andern Gelehrten, gewechselt worden sind.* Lipsiae 1745. 8. In his litteris Leibnitius inter alia, quomodo controuersia de perseuerantia sanctorum inter Reformatos et Euangelico-Lutheranos componenda sit, docet.

§. CCII.

Certa persuasio, quam homo christianus de gratia Dei erga se et de salute aeterna habet, dici solet *obsignatio* 2 Cor. I, 22. Ephes. I, 13. c. IV, 30. Nititur haec persuasio veritate diuinarum promissionum et conscientia notarum, fidei haud fucatae et vitae christianae propriarum Rom. VIII, 13-17. Qui enim nouit, suam fidem esse vivam, et in eo totus est, vt praeceptis euangelii morem gerat, de iustificatione sua certus esse et firmam salutis suae spem habere potest 2 Petri I, 5-10. Negari autem nequit, diuersos huius fiduciae esse gradus, et interdum quosdam, vera fide praeditos, vel in animi angoribus, vel etiam per totam vitam, hac fiducia carere; denique nonnullos ex errore magnam de se et de bonis sibi exspectandis concipere spem et non videre, quantopere fallantur.

Vid. IOHANNIS DRIEBERGE *Libri duo, vnus de bonis N. Foederis et futuro hominum statu, alter de baptismo et s. coena.* Amstelod. 1746. 4. in quorum primo cap. V. de certitudine fidelium agit.

CAPVT

CAPVT XII.

DE SACRAMENTIS RELIGIONIS CHRISTIANAE.

§. CCIII.

Vt beneficiorum, quae Christo debemus et officii nostri, ad quod illa nos obstringunt, eo magis recordaremur, et vt illi, qui religionem christianam profitentur, se ab aliis, illi non addictis, certis distinguerent signis, a Christo ipso ritus quidam, qui *sacramenta* dicuntur, sunt instituti (§. XCVI.). Non contemnendum in omni religione caerimoniae, ad propositum quoddam aptae, habent vsum, si modo caueatur, ne superstitioni hominum dent occasionem. Quia vero religio christiana tota comparata est ad mentem nostram a rebus externis abstrahendam et ad cultum, Deo dignum, eleuandam, auctor eius optimo consilio non nisi duas caerimonias, baptismum nempe et sacram coenam, omnibus eam profitentibus praescripsit et prudentiae rectorum ecclesiae, in sequentibus temporibus adhuc alios ritus externos, si ad religionem exercendam viderentur vtiles et necessarii, reliquit ordinandos.

Sacramentum veteres latini scriptores vsurpant: 1) de iure iurando, inprimis militari, 2) de pignore, quod litigantes apud pontificem deponebant et quod is, qui causa ceciderat, perdebat. Ecclesiae patres sacramentum vocant: 1) rem quamcunque sacram, 2) mysterium, 3) signum externum rerum coelestium, 4) a Christo institutum foederis gratiae signum, cuiusmodi sunt baptismus et sacra coena.

§. CCIV.

§. CCIV.

Quia ſacramenta ſunt ritus externi religionis chriſtianae (§. CCIII.); 1) qui iis recte vti vult, eorum ſignificationem probe teneat et ad finem eorum ſemper attendat, neceſſe eſt. 2) Quamuis in homine chriſtiano in eorum vſu de beneficiis Chriſti et de ſuo officio cogitanti bonos animi ſenſus excitare poſſint et debeant; nullam tamen habent vim phyſicam eum emendandi, ſiue gratiam Dei non conferunt ex opere operato. 3) Quia hi ritus a Chriſto etiam eum in finem ſunt inſtituti, vt iis, qui religionem chriſtianam profitentur, ab aliis, illi non addictis, ſe diſtinguerent: a nullo Chriſtiano ſunt negligendi; ſi vero quis religionis chriſtianae cultor ſine ſua culpa iis caret, nihil inde capiet detrimenti. 4) Qui tantum religionem chriſtianam profitentur, non autem illi conuenienter viuunt, per ſacramenta nullius beneficii diuini fiunt participes; omnis enim vtilitas, a ſacramentis, tanquam foederis gratiae ſignis et ſigillis, exſpectanda, in veros Chriſtianos redundat. 5) Vt debita inſtitutionis ſacramentorum ratio habeatur et vt ea, quae ad ſignificationem eorum intelligendam neceſſaria ſunt, praemoneantur: ea non niſi ab eccleſiae doctoribus ſunt adminiſtranda.

§. CCV.

Baptiſmus eſt ſacramentum, quo quis religionem chriſtianam profitens illi initiatur, ſiue in ſocietatem chriſtianam recipitur. Eum inſtituit Chriſtus paulo ante ſuam in coelum aſcenſionem Matth. XXVIII, 19. 20. Marci XVI, 15. 16. Ex inſtitutione hac diſcimus: 1) quinam ſint baptizandi? ii nempe, qui doctrinam religionis chriſtianae iam perceperunt et fidei ſuae aliquam in medium protulerunt confeſſionem. 2) Quomodo ſit baptizandum? per immerſionem in aquam, id quod grae-

ca

ca vox βαπτίζειν indicat. 3) Ad quam formulam? in nomen Dei patris, filii et ſpiritus ſancti. 4) Quodnam beneficium per baptiſmum confirmetur? qui crediderit et baptizatus fuerit, ſaluabitur.

Baptiſmum, quem Chriſtus inſtituit, non plane nouum ritum fuiſſe, ex *baptiſmo Iohannis* apparet. Iohannes vero eos, qui ſuis adhortationibus aurem praebebant, baptizabat ad reſipiſcentiam Matth. III, 11. et praedicabat baptiſmum reſipiſcentiae ad remiſſionem peccatorum Marci I, 4. atque hoc modo multos ad Meſſiae aduentum praeparabat Ioh. I, 26-37. Act. XIII, 24. 25. c. XIX, 4. Vt doctrinae Iohannis eo maiorem conciliaret auctoritatem, Ieſus ipſe ab illo baptizari voluit Matth. III, 13-17. qui quoque quosdam baptizaſſe legitur Ioh. III, 22. 26. quod tamen per diſcipulos ſuos dicitur feciſſe c. IV, 1. 2. Vtrum autem Iohannes in baptizandis diſcipulis ſuis morem inter Iudaeos receptum et in proſelytis adhibitum ſit ſecutus et tantum ex parte mutauerit; an vero mos ille proſelytos baptizandi demum poſt tempora Iohannis inter Iudaeos inualuerit, adhuc eſt dubium. Confer. praeter SELDENVM *de iure naturali et gentium iuxta diſciplinam Ebraeorum*, Lib. II. c. 2. p. 138. ſeqq. IOH. ANDREAE DANZII *Antiquitas baptiſmi initiationis Iſraelitarum vindicata, contra adſcribentes ipſi originem chriſtianam.* Ienae 1710. 4.

§. CCVI.

Cum Chriſtus Apoſtolos iubet antea docere eos, qui ſint baptizandi, oſtendit, *inſtitutionem quandam religionis chriſtianae baptiſmum praecedere debere*; quae ideo eſt neceſſaria, quia ſine illa ſignificationem

bapti-

baptiſmi nemo intelligere et per baptiſmum in numerum eorum, qui religionem chriſtianam profitentur, recipi poteſt. Nam ſi quis religionem chriſtianam profiteri vult, eum cognitione eius imbutum eſſe oportet. Hanc ob cauſam Apoſtoli et alii eccleſiae doctores, non niſi eos, qui ſummam religionis chriſtianae ſibi traditam percepiſſent, baptizabant Act. II, 41. c. VIII, 12. 35-38. c. X, 47. 48. c. XVI, 14. 15. 30-33. Inſtitutionem hanc, quae plerumque erat breuior, ſequebatur confeſſio, paucis verbis concepta, qua is, qui baptizandus eſſet, declarabat, ſe doctrinam religionis chriſtianae probare Act. VIII, 37. Quod haec confeſſio requiratur, etiam verba Chriſti: *qui crediderit et baptizatus fuerit, ſaluabitur*, indicant. Sequentibus temporibus longiori et vberiori inſtitutione ii, qui religionem chriſtianam amplecti volebant, ad baptiſmum praeparabantur; ampliori quoque confeſſione, cuiusmodi erat ſymbolum apoſtolicum, fides eorum teſtanda erat. Nonnulli, qui coetui chriſtianorum adiungebantur, baptiſmum diutius, imo ſaepe ad finem vitae, differre ſolebant, id quod etiam Conſtantinum M. feciſſe nouimus; exiſtimabant enim, peccata, poſt baptiſmum commiſſa, difficilius condonari, quam quae ante baptiſmum commiſſa eſſent. Cum Chriſtus loquitur de baptizandis omnibus gentibus, ex ſententia quorundam baptiſmum tantum gentilibus, qui conuerterentur, et quidem in reipublicae chriſtianae conſtituendae initio praeſcripſit; ſed cum Apoſtoli etiam eos, qui ex Iudaeis ad fidem chriſtianam ſunt perducti, baptizauerunt Act. II, 41. et praeceptum Chriſti de baptizandis ſuae religionis cultoribus nullibi ad certum tempus reſtringitur, non eſt, quod de vniuerſali et perpetuo vſu baptiſmi in religione chriſtiana dubitemus.

Confer. IOH. DRIEBERGE libri duo ad §. CCII. citati, in quorum ſecundo cap. 2. de perpetuitate bapti-

baptiſmi agit et *Die Waſſertaufe der Chriſten, ein Geſetz Chriſti und kein willkührlicher Gebrauch, erwieſen von* IAC. ELIAS TROSCHEL. Berolini 1774. 8.

§. CCVII.

Quantum ex ſcriptis N. Teſtamenti conſtat, tempore Apoſtolorum non niſi adulti, doctrinae religionis chriſtianae gnari, et ex iunioribus ii, qui fidei ſuae rationem reddere poſſent, ad baptiſmum admiſſi fuerunt; poſtea vero ſenſim etiam infantes recens nati parentum chriſtianorum baptizari coeperunt. Vnde et quando *paedobaptiſmus* primum in eccleſia chriſtiana ſit ortus, certo definiri nequit. Forſitan prima eius cauſa fuit nimia de vi et efficacia baptiſmi eiusque ad ſalutem neceſſitate opinio. Iam ſeculo ſecundo in quibusdam locis paedobaptiſmum in vſu fuiſſe, IRENAEVS teſtis adduci ſolet. TERTVLLIANVS quoque eius facit mentionem, ſed eum non probat. Seculo tertio et quarto iam erat vulgatior et deinde magis magisque inualuit, donec conſuetudo haec per omnem eccleſiam legis inſtar haberetur. Proteſtantes paedobaptiſmum, tanquam veteris eccleſiae autoritate nixum, retinuerunt et, vt eum contra Anabaptiſtas defenderent, omnem dederunt operam. Nonnulli in feruore diſputationis eo vsque ſunt progreſſi, vt infantibus ſidem ineſſe poſſe eosque per baptiſmum regenerari contenderent. Argumenta, quibus pro paedobaptiſmo pugnatur, haec fere ſunt: 1) quia eius magna eſt antiquitas. Haec tanta quibusdam eſſe videtur, vt, cum legimus, totas familias viuentibus adhuc Apoſtolis baptizatas eſſe Act. X, 47. 48. c. XVI, 15. 31-33. 1 Cor. I, 16. iis etiam liberos paruulos comprehenſos eſſe, velint; quod tamen alii, vt valde incertum, in medio relinquunt. 2) Quia liberi Chriſtianorum foederis gratiae

ſunt

ſunt participes Matth. XIX, 13. 14. Act. II, 39. 1 Cor. VII, 14. et ideo ſignis et ſigillis huius foederis a liberis infidelium ſunt diſtinguendi. 3) Quia olim infantes mares Iudaeorum circumcidebantur; etiam baptiſmus, qui in circumciſionis locum ſucceſſit, infantibus Chriſtianorum non eſt denegandus. Huc accedit, quod Iudaei liberos proſelytorum, adhuc infantes, cum illis baptizare ſunt ſoliti. Cum vero haec argumenta non omni exceptione ſunt maiora, ſimpliciſſimum eſt dicere, per baptiſmum liberos Chriſtianorum a prima infantia iam Deo dicari et parentes eorum hoc ritu adſtringi ad liberos ſuos, quantum per aetatem licet, in religione chriſtiana erudiendos, qui deinde debitum rationis vſum adepti et neceſſaria rerum credendarum cognitione inſtructi, ipſi votum ſui loco in baptiſmo ab aliis praeſtitum ratum habere et confirmare debent.

In fundamenta et rationes paedobaptiſmi chriſtiani inquirit VITRINGA *Obſeruationum ſacrarum* Lib. II. c. 6. *Hiſtoriam paedobaptiſmi* multo ſtudio contexuit GVIL. WALLVS, quam ex anglico latine vertit, nonnullis etiam obſeruationibus et vindiciis auxit IOH. LVD. SCHLOSSER, cuius Tom. I. Bremae 1748. et Tom. II. Hamburgi 1753. 4. prodiit. Non recens natos, ſed eiusmodi infantes, qui iam inſtitutionis catecheticae capaces eſſent, ſeculo primo et ſecundo baptizatos fuiſſe, in libello quodam, ſub titulo: *Primitiue Infant-Baptiſm reviv'd*, Londini 1712. 8. euulgato, adſtruere conatus eſt GVIL. WHISTONVS.

In baptiſmo infantum et, vt nonnulli putant, iam antea in baptiſmo adultorum, adhibebantur teſtes, in principio quidem vnus, deinde nonnulli, *ſuſceptores* dicti, quorum primus meminit TERTVLLIANVS. Confer. GERH. *von* MASTRICHT

Susceptor, seu de susceptoribus infantium ex baptismo, eorum origine, vsu et abusu schediasma. Francof. et Lipsiae 1727. 4. Quod in baptismo infantibus nomen imponatur, ex more Iudaeorum, in puerorum circumcisione seruato, ortum esse videtur.

§. CCVIII.

Baptismus secundum primam institutionem (§.CCV. n. 2.) per longum tempus in ecclesia christiana totius corporis eo initiandi *immersione in aquam* peragebatur. Hoc modo Iesus ipse a Iohanne est baptizatus Matth. III, 16. et eunuchus ex Aethiopia a Philippo Act. VIII, 36. 38. nec est, quod in ter mille a Petro baptizatis Act. II, 41. aut in quinquies mille Act. IV, 4. memoratis, rationem hanc mutatam esse existimemus. Huius immersionis caussa Paulus Christianos dicit in mortem Christi baptizatos et cum illo per baptismum sepultos esse Rom. VI, 3. 4. Col. II, 12. Baptizati hoc ritu admonebantur purificationis mentis a sordibus peccatorum, in homine religionem christianam profitente necessariae, quae purgatione corporis, immersione in aquam effecta, tanquam signo valde claro repraesentabatur. Immersione in baptismo adhuc ecclesia graeca vtitur; eius loco in ecclesia latina posterioribus temporibus primum conspersio, deinde adspersio est adhibita, quam posteriorem seculo decimo quarto Pontifex Romanus, Clemens V. in synodo secunda, Rauennae anno 1310. habita, publice probauit. Protestantes etiam ad exemplum ecclesiae latinae adspersione in baptismo sunt contenti. Eam, siue potius conspersionem, iam olim in baptismo clinicorum vsitatam fuisse, negari nequit; an vero ob caussas sat graues immersio in adspersionem sit commutata, quaeri solet.

Prae-

Praeter immerſionem plures alii ritus procedente tempore in baptiſmo locum acceperunt. Iam ſeculo ſecundo baptizati ſigno crucis notabantur, vngebantur, iisque lac et mel guſtandum dabantur, vt ex TERTVLLIANO diſcimus. Acceſſit ſeculo tertio exorciſmus, quo baptizandi a poteſtate Diaboli, cui antea ſubiecti eſſe crediti ſunt, liberarentur. Nouae poſtea caerimoniae additae ſunt, de quibus conſulantur ſcriptores antiquitatum eccleſiaſticarum. In eccleſia Romana, teſte BELLARMINO, ſequentes ritus ad baptiſmum exiguntur: antecedentes ſex: 1) ſignum crucis in fronte et pectore, 2) exorciſmus, 3) exſufflatio, 4) narium et aurium ex ſaliua contactus cum Epphata, 5) ſalis guſtatus, 6) vnctio ex oleo in pectore et ſcapulis; concomitans vnicus, ſcilicet conſecratio aquae baptiſmalis; conſequentes tres: 1) vnctio chriſmatis in vertice, 2) cereus accenſus, qui neophyto geſtandus datur, 3) veſtis candidae indumentum. De abuſibus baptiſmi, cuiusmodi eſt baptiſmus campanarum (§. CX.), iam nihil dicemus.

§. CCIX.

Secundum praeceptum Chriſti baptizandum eſt: *in nomen patris, filii et Spiritus ſancti* i. e. in confeſſionem doctrinae de patre, filio et ſpiritu ſancto. Eum enim, qui baptizari volebat, oportebat profiteri, ſe credere, vnum eſſe Deum, rerum omnium creatorem et hominum patrem, filium eſſe verum Meſſiam et generis humani ſeruatorem, atque ſpiritum ſanctum hominibus a Deo donari ad eos in omni virtute perficiendos. Ἐις τὸ ὄνομα hic idem valet, quod ἐπὶ τῷ ὀνόματι Act. II, 38. ἐν τῷ ὀνόματι c. X, 48. Chriſtiani dicuntur baptizati eſſe ἐις Χριστὸν Rom. VI, 3. Gal. III, 27. ἐις τὸν

 Θάνα-

Θάνατον αὐτοῦ Rom. VI, 3. Iohannes legitur baptizasse εἰς μετάνοιαν Matth. III, 11. Confer. etiam 1 Cor. I, 13. c. X, 2. Formula haec, quam Christus praescripsit, docet, hominem baptizandum ad professionem constantem religionis, cui initiabatur, et ad vitae rationem, huic professioni conuenientem, adstringi illique animo sincero Deum, vt suum creatorem, seruatorem et sanctificatorem, esse colendum.

Videantur, quae VITRINGA *de germano sensu dictionis: baptizari in rem aut personam*, in *Obseruationibus* f. Libro III. c. 22. differit. Confer. etiam HEVMANNVS ad Act. VIII, 16.

§. CCX.

Qui post professionem fidei suae baptismo in societatem christianam recipiebantur et ex animo religioni, quam amplectebantur, erant dediti, participes etiam fiebant beneficiorum diuinorum, veris Christi sectatoribus promissorum Rom. X, 9. 10. Horum *beneficiorum imaginem et confirmationem quandam* eorum menti exhibebat baptismus. Significabat nempe: 1) veniam peccatorum antea commissorum, quam consequebantur; vti enim corpus eorum sordibus abluebatur, sic mens eorum a peccatis, quibus se inquinauerant, reddebatur pura et libera Act. II, 38. c. XXII, 16. 2) Renouationem ad vitam meliorem per Spiritum sanctum Rom. VI, 4. Gal. III, 27. Nihil enim magis, qui religionem christianam profitentur, sibi commendatum habere debent, quam morum puritatem Matth. V, 8. Ephes. IV, 22-24. Iac. IV, 8. Nullam vero baptismus habet vtilitatem, si quis eo initiatus non praeditus est animo, hominem christianum decente, nec de praeceptis euangelii implendis est sollicitus; id quod Simonis magi, a Philippo baptizati, exemplum demonstrat Act. VIII, 13. 21.

Non

Non enim, vti Petrus docet 1 Petri III, 21, in baptiſmo corporis ablutio per ſe aliquid ad hominis ſalutem confert, ſi iis caret animi affectionibus, quae eum Deo gratum reddere poſſint. Maxime ergo falluntur, qui baptiſmo vim quandam mentem hominis purgandi ineſſe arbitrantur; nec eos iuuant loca Ioh. III, 5. Tit. III, 5. cum in iis de baptiſmo non agitur.

Quia baptiſmus eſt ſacramentum initiationis, vſus eius in vno eodemque homine non eſt repetendus. Qui enim ſemel ſolenni hac ratione coetui Chriſtianorum eſt adiunctus, non indiget nouo baptiſmo, quo illi iterum vel ſaepius adiungatur. Ideo quoque non legimus, Apoſtolos et alios eccleſiae primae doctores aliquem plus ſimplici vice baptizaſſe. Alia fuit ratio eorum, qui vel a Iohanne, vel a diſcipulis eius, baptizati erant et qui, cum ad diſciplinam Chriſtianorum ſe applicarent, iterum, nempe baptiſmo Chriſti, ſunt baptizati Act. XIX, 1-5. Sunt quidem nonnulli, qui verſum 5. continuationem ſermonis Pauli, non Lucae narrationem, eſſe volunt; ſed iam HEVMANNVS et alii notarunt, quam coacta ſit haec interpretatio. Vtrum haeretici, cum ad Catholicos ſe conuertiſſent, rebaptizandi eſſent, nec ne, acriter olim ſeculo III. inter STEPHANVM, epiſcopum Romanum, et CYPRIANVM, epiſcopum Carthaginenſem, eſt diſputatum; cui liti poſtea concilium Nicaenum primum impoſuit finem. Locum 1 Petri III, 18-22. ſupra adductum, valde illuſtrat IOH. NICOL. RICHTERVS in *Bibliothecae Bremenſis nouae* Cl. I. faſc. 2. p. 281. ſeqq. ad cuius diſſertationem quaedam monet NIC. BARKEY ibid. faſciculo III. p. 478. ſeqq.

§. CCXI.

Sacra coena, siue vt Paulus 1 Cor. XI, 20 eam vocat, *coena Dominica* est sacramentum religionis christianae, a Christo ipso in memoriam suae mortis institutum Matth. XXVI, 26-28. Marci XIV, 22-24. Lucae XXII, 19. 20. 1 Cor. XI, 23-25. Vt, quae de illa sint notanda, ordine pertractemus: 1) verba institutionis breuiter illustrabimus, 2) in significationem et finem rituum, a Christo in hac coena praescriptorum, inquiremus, 3) de recto huius coenae vsu agemus, 4) quantopere doctrina de sacra coena a quibusdam sit deprauata, videbimus.

Varia nomina, quibus sacra coena tam in N. Testamento, quam ab ecclesiae patribus insignita est, recensent IS. CASAVBONVS in *Exercitationibus ad annales ecclesiasticos Baronii* p. 444. seqq. IOH. CASP. SVICERVS in *thesauri ecclesiastici* indice sub vocibus: *coena Domini vocatur* et FRANC. BVRMANNVS in *Synopsi Theologiae* p. 360-362. Inter scripta, quae ad doctrinam de sacra coena bene intelligendam faciunt, singularem laudem meretur BENI. HOADLY's *plain Account of the Nature and End of the Sacrament of the Lord's Supper.* Londini 1736. 8. cuius libri germanica versio sub titulo: BENI. HOADLYS, *Bischofs zu Winchester, deutlicher Unterricht von der Natur und dem Zwecke des h. Nachtmals.* Berolini et Potsdampii 1758. 8. prodiit. Confer. etiam IOSEPH PRISTLEYS *freymüthige Anrede an die protestantischen Dissentienten über das h. Nachtmahl*, quae commentatio exstat in quarta parte Vol. II. des *Brittischen theologischen Magazins* p. 757. seqq. ad quam

quam additamenta quaedam exhibentur ibid. in prima parte Vol. IV. p. 112. seqq.

§. CCXII.

Instituit Christus sacram coenam paulo ante mortem, in nocte, qua proditus est, postquam agnum paschalem cum discipulis suis comederat. *Sumsit* eum in finem *panem*, nempe azymum, quo Iudaei tempore paschatis vtebantur, et *gratiis actis*, siue precibus ad Deum fusis, hoc enim vocabulum ἐυλογεῖν apud Matthaeum et Marcum et ἐυχαριςεῖν apud Lucam et Paulum significat; eum *fregit et dedit discipulis*, in manus scilicet, *et ait: accipite*, *comedite*, *hoc*, quod vobis trado, *est corpus meum*, siue signum corporis mei, *quod*, vt Lucas et Paulus addunt, *pro vobis datur*, siue *frangitur*, *hoc facite in mei memoriam. Acceptum deinde calicem*, vino plenum, *gratiis actis*, siue precibus iterum ad Deum directis, *iis dedit*, *dicens: bibite ex eo omnes*, *hoc est sanguis N. Foederis*, *profusus pro multis ad remissionem peccatorum*, siue secundum Lucam: *hic est calix*, *Foedus nouum per sanguinem meum*, *pro vobis effusum*, et secundum Paulum: *hic calix est nouum Foedus per meum sanguinem*, *hoc facite*, *quotiescunque biberitis*, *in mei recordationem.* Vinum enim, poculo contentum, quod Christus discipulis suis tradidit, repraesentabat sanguinem eius, cuius effusione confirmandum esset Foedus nouum, quo Deus ex gratia peccata hominibus, se ad leges euangelii conformantibus, condonare vellet. Quod coena haec saepius a Christianis in memoriam mortis Christi sit celebranda, Paulus his verbis inculcat: *quotiescunque comederitis panem hunc et ex hoc calice biberitis*, *mortem Domini*, *vsque dum venerit*, *annuntiabitis.*

Quae ex antiquitatibus Iudaeorum ad sacrae coenae institutionem eo melius explicandam peti possint, adfert IOH. BVXTORFIVS, Filius, in *Dissert. de coena Domini*, quae est sexta *Dissertationum* eius *philologico-theologicarum*, Basileae 1662. 4. euulgatarum, a quo in quibusdam abit CHRIST. SCHOETTGENIVS in *horis hebraicis et talmudicis in vniuersum N. T.* Tomo I. p. 226. seqq.

Quamuis prima haec coena, quam Christus discipulis suis administrauit, exemplum sit habendum, quod in sacrae coenae vsu sequi debeamus, ea tamen, quae Christus tantum temporis, quo illa instituta est, causa fecit, et quae nullam aliquid, ad finem eius spectans, significandi vim habent, minus necessaria esse videntur; cuiusmodi est, quod panem azymum et vinum, vti probabile est, rubrum adhibuit et quod tempore vespertino hoc epulum suis dedit discipulis. Panis autem fractio, quia corpus Christi multis cruciatibus fractum iri indicabat, a qua etiam ipsa eucharistia nomen accepit Act. II, 42. 46. et fere omnia reliqua, a Christo peracta, haud negligi debent. Vsum sacrae coenae nemini, religionem christianam profitenti, negligendum esse, multis demonstrat DAVID MILLIVS in *Disputatione theologica de hominis christiani obligatione ad sacram coenam*, quae in eius *Miscellaneis sacris* p. 329. seqq. legitur.

§. CCXIII.

Praescripsit Christus in sacra coena ritum valde simplicem et facilem intellectu. Voluit, vt sui sectatores memoriam mortis suae pane comedendo et vino bibendo saepius colerent. Hanc eius mentem clarissime perspicimus ex verbis eius, cum panem discipulis suis porrigeret:

ret: *hoc est corpus meum, quod pro vobis datur vel frangitur*, et cum illis poculum daret: *hoc est sanguis N. Foederis, profusus pro multis ad remissionem peccatorum.* Ponitur hic *est*, vt saepius, pro *significat.* Sic circumcisio dicitur foedus Dei cum Abrahamo eiusque posteris Gen. XVII, 10. i. e. signum foederis, vti v. 11. explicatur, et agnus paschalis vocatur sacrificium pesach siue transitus Exodi XII, 27. qui non nisi signum transitus angeli destructoris, qui primogenitos Aegyptiorum caedebat et Israelitarum transibat domos, erat. In similitudinibus et symbolis hic verbi, est, vsus frequentissime occurrit Gen. XLI, 26. 27. Ioh. X, 7. 9. 1 Cor. X, 4. In hac ipsa sacrae coenae institutione sensu improprio calix idem est, quod vinum, ab ipso contentum, isque eodem modo N. Foedus appellatur. Si vllibi, certe hic valet regula: non potest propria vocis significatio locum habere, si illa absoni quid secum fert. Praeterea cum iubemur, in memoriam Christi panem in sacra coena edere et vinum bibere atque mortem eius annuntiare vsque dum venerit, nihil est certius, nisi quod Christi absentis recordatio, in hoc epulo renouanda, iniungatur. Hic ergo *sacrae coenae finis* est, vt omnes, qui Christi nomen profitentur, dum pane fracto, tanquam symbolo corporis eius morte affecti, et vino, tanquam symbolo sanguinis eius profusi, fruuntur, grata mente beneficia, seruatori suo accepta referenda, recolant iisque excitentur ad omnia officia, ipsi debita, explenda. Praeter hunc finem primarium adhuc alium Paulus memorat 1 Cor. X, 17. vt nempe, cum in communione ad mensam sacram accedimus, mutui amoris, qui eiusdem religionis socios inter se coniungere debeat, recordemur et vt ad vnionem hanc fouendam simus paratissimi.

Ex iis, quae Paulus 1 Cor. X, 15-21. de esu carnium victimarum, a Christianis vitando, differit, nonnulli, vt CVDWORTHVS, WARBVRTONVS, et plures alii collegerunt, sacram coenam esse *epulum sacrificale.* Sed si ad verba Pauli recte attendamus, nihil tale ab ipso dici, nobis erit confitendum. Nam cum mensam Domini cum epulis sacrificalibus gentilium comparat, id tantum eam facit ob causam, quia, vti participes epularum ex victimis, Diis oblatis, declarabant, se gentilium religionem probare; sic Christiani, qui conuiuae sunt mensae Domini, publice profitentur, se societati christianae esse adscriptos. Sententiam CVDWORTHI iam MOSHEMIVS duabus confutauit rationibus, quarum prima est, quia epulum eiusmodi post sacrificium peractum celebrabatur, sacra coena autem a Christo instituta est, antequam se Deo morte sua sacrificii instar obtulisset; secunda, quia ex sacrificiis expiatoriis, cuiusmodi Christi erat, nullum conuiuium parabatur. Confer. WILH. WARBVRTONI *vernünftiger Unterricht von der Natur und dem Endzwecke des h. Abendmahls*, et RAD. CVDWORTHI *Abhandlung von dem wahren Begriffe des h. Abendmahls.* Gedani et Lipsiae 1768. 8.

§. CCXIV.

Ad *rectum sacrae coenae vsum* hoc necessarium est, vt is, qui ritum hunc celebrat, semper finem (§. CCXIII.), ad quem est institutus, habeat ante oculos illique conuenienter se gerat. Eum igitur oportet, cum hoc epulo sacro fruitur, sibi in memoriam reuocare summum Christi amorem, quo motus pro nobis mortem crudelissimam pertulit, ipsum vt Dominum suum venerari, ipsius praecepta sibi commendata habere et beneuolo in alios

alios esse animo. Seria eorum, quae Christo debemus, meditatio mentem eius accendere debet ad totam vitam suam in honorem eius componendam. Cum solenni modo testatur, se religionem christianam profiteri, eius etiam est, in peragendis iis, quae illa desiderat, assiduum esse. Ex praescripto Pauli I Cor. XI, 28 *homo ipse se exploret et ita edat de pane et de poculo bibat.* Exploratio haec ex opinione multorum totius vitae examen complectitur, quod tamen alii, quamuis in se vtile, non tamen, vt tempore hoc necessarium, Paulum iubere existimant, cum id tantum velit, eum, qui ad mensam accedit sacram, ita animo comparatum esse debere, vt nihil committat, reuerentiae actioni illi praestandae contrarium, et vt re vera memoriam mortis Christi mente sua recolat. Quod eo confirmant, quia Paulus de abusu sacrae coenae in ecclesia Corinthiaca, quo epulum hoc sacrum in profanum conuertebatur, loquitur. De hoc etiam verba eius v. 27. valent: *quare, qui indigne hunc panem edit et poculum Domini bibit, reus erit corporis et sanguinis Domini* h. e. qui sine omni reuerentia et eorum, quae hoc tempore ipsi agenda sint, immemor sacra coena vtitur, profanat signa corporis et sanguinis Christi et sic magna est in culpa; et v. 20: *qui enim indigne edit et bibit, sibi iudicium edit et bibit, non discernens corpus Domini* i. e. qui indecenti modo conuiuio huic sacro interest, incurrit poenam diuinam, quia contemtum quendam symboli corporis Christi prodit et cibum hunc non discernit a vulgari. Omnis vero vtilitas a sacrae coenae perceptione exspectanda ex bona mentis conuiuiae eius affectione pendet; nullam enim symbola, quae distribuuntur, vim habent physicam animum hominis, ea accipientis, mutandi. Quia etiam tota ritus huius ratio cognoscenda est illi, qui eum cum fructu exsequi vult: non nisi adultiores et debita religio-

nis

Quae ex antiquitatibus Iudaeorum ad sacrae coenae institutionem eo melius explicandam peti possint, adfert IOH. BVXTORFIVS, Filius, in *Dissert. de coena Domini*, quae est sexta *Dissertationum* eius *philologico-theologicarum*, Basileae 1662. 4. euulgatarum, a quo in quibusdam abit CHRIST. SCHOETTGENIVS in *horis hebraicis et talmudicis in vniuersum N. T.* Tomo I. p. 226. seqq.

Quamuis prima haec coena, quam Christus discipulis suis administrauit, exemplum sit habendum, quod in sacrae coenae vsu sequi debeamus, ea tamen, quae Christus tantum temporis, quo illa instituta est, caussa fecit, et quae nullam aliquid, ad finem eius spectans, significandi vim habent, minus necessaria esse videntur; cuiusmodi est, quod panem azymum et vinum, vti probabile est, rubrum adhibuit et quod tempore vespertino hoc epulum suis dedit discipulis. Panis autem fractio, quia corpus Christi multis cruciatibus fractum iri indicabat, a qua etiam ipsa eucharistia nomen accepit Act. II, 42. 46. et fere omnia reliqua, a Christo peracta, haud negligi debent. Vsum sacrae coenae nemini, religionem christianam profitenti, negligendum esse, multis demonstrat DAVID MILLIVS in *Disputatione theologica de hominis christiani obligatione ad sacram coenam*, quae in eius *Miscellaneis sacris* p. 329. seqq. legitur.

§. CCXIII.

Praescripsit Christus in sacra coena ritum valde simplicem et facilem intellectu. Voluit, vt sui sectatores memoriam mortis suae pane comedendo et vino bibendo saepius colerent. Hanc eius mentem clarissime perspicimus ex verbis eius, cum panem discipulis suis porrigeret:

ret: *hoc est corpus meum, quod pro vobis datur vel frangitur*, et cum illis poculum daret: *hoc est sanguis N. Foederis, profusus pro multis ad remissionem peccatorum.* Ponitur hic *est*, vt saepius, pro *significat.* Sic circumcisio dicitur foedus Dei cum Abrahamo eiusque posteris Gen. XVII, 10. i. e. signum foederis, vti v. 11. explicatur, et agnus paschalis vocatur sacrificium pesach siue transitus Exodi XII, 27. qui non nisi signum transitus angeli destructoris, qui primogenitos Aegyptiorum caedebat et Israelitarum transibat domos, erat. In similitudinibus et symbolis hic verbi, est, vsus frequentissime occurrit Gen. XLI, 26. 27. Ioh. X, 7. 9. 1 Cor. X, 4. In hac ipsa sacrae coenae institutione sensu improprio calix idem est, quod vinum, ab ipso contentum, isque eodem modo N. Foedus appellatur. Si vllibi, certe hic valet regula: non potest propria vocis significatio locum habere, si illa absoni quid secum fert. Praeterea cum iubemur, in memoriam Christi panem in sacra coena edere et vinum bibere atque mortem eius annuntiare vsque dum venerit, nihil est certius, nisi quod Christi absentis recordatio, in hoc epulo renouanda, iniungatur. Hic ergo *sacrae coenae finis* est, vt omnes, qui Christi nomen profitentur, dum pane fracto, tanquam symbolo corporis eius morte affecti, et vino, tanquam symbolo sanguinis eius profusi, fruuntur, grata mente beneficia, seruatori suo accepta referenda, recolant iisque excitentur ad omnia officia, ipsi debita, explenda. Praeter hunc finem primarium adhuc alium Paulus memorat 1 Cor. X, 17. vt nempe, cum in communione ad mensam sacram accedimus, mutui amoris, qui eiusdem religionis socios inter se coniungere debeat, recordemur et vt ad vnionem hanc fouendam simus paratissimi.

Ex iis, quae Paulus 1 Cor. X, 15-21. de esu carnium victimarum, a Christianis vitando, differit, nonnulli, vt CVDWORTHVS, WARBVRTONVS, et plures alii collegerunt, sacram coenam esse *epulum sacrificale.* Sed si ad verba Pauli recte attendamus, nihil tale ab ipso dici, nobis erit confitendum. Nam cum mensam Domini cum epulis sacrificalibus gentilium comparat, id tantum eam facit ob causam, quia, vti participes epularum ex victimis, Diis oblatis, declarabant, se gentilium religionem probare; sic Christiani, qui conuiuae sunt mensae Domini, publice profitentur, se societati christianae esse adscriptos. Sententiam CVDWORTHI iam MOSHEMIVS duabus confutauit rationibus, quarum prima est, quia epulum eiusmodi post sacrificium peractum celebrabatur, sacra coena autem a Christo instituta est, antequam se Deo morte sua sacrificii instar obtulisset; secunda, quia ex sacrificiis expiatoriis, cuiusmodi Christi erat, nullum conuiuium parabatur. Confer. WILH. WARBVRTONI *vernünftiger Unterricht von der Natur und dem Endzwecke des h. Abendmahls*, et RAD. CVDWORTHI *Abhandlung von dem wahren Begriffe des h. Abendmahls.* Gedani et Lipsiae 1768. 8.

§. CCXIV.

Ad *rectum sacrae coenae vsum* hoc necessarium est, vt is, qui ritum hunc celebrat, semper finem (§. CCXIII.), ad quem est institutus, habeat ante oculos illique conuenienter se gerat. Eum igitur oportet, cum hoc epulo sacro fruitur, sibi in memoriam reuocare summum Christi amorem, quo motus pro nobis mortem crudelissimam pertulit, ipsum vt Dominum suum venerari, ipsius praecepta sibi commendata habere et beneuolo in

alios

alios esse animo. Seria eorum, quae Christo debemus, meditatio mentem eius accendere debet ad totam vitam suam in honorem eius componendam. Cum solenni modo testatur, se religionem christianam profiteri, eius etiam est, in peragendis iis, quae illa desiderat, assiduum esse. Ex praescripto Pauli 1 Cor. XI, 28 *homo ipse se exploret et ita edat de pane et de poculo bibat.* Exploratio haec ex opinione multorum totius vitae examen complectitur, quod tamen alii, quamuis in se vtile, non tamen, vt tempore hoc necessarium, Paulum iubere existimant, cum id tantum velit, eum, qui ad mensam accedit sacram, ita animo comparatum esse debere, vt nihil committat, reuerentiae actioni illi praestandae contrarium, et vt re vera memoriam mortis Christi mente sua recolat. Quod eo confirmant, quia Paulus de abusu sacrae coenae in ecclesia Corinthiaca, quo epulum hoc sacrum in profanum conuertebatur, loquitur. De hoc etiam verba eius v. 27. valent: *quare, qui indigne hunc panem edit et poculum Domini bibit, reus erit corporis et sanguinis Domini* h. e. qui sine omni reuerentia et eorum, quae hoc tempore ipsi agenda sint, immemor sacra coena vtitur, profanat signa corporis et sanguinis Christi et sic magna est in culpa; et v. 20: *qui enim indigne edit et bibit, sibi iudicium edit et bibit, non discernens corpus Domini* i. e. qui indecenti modo conuiuio huic sacro interest, incurrit poenam diuinam, quia contemtum quendam symboli corporis Christi prodit et cibum hunc non discernit a vulgari. Omnis vero vtilitas a sacrae coenae perceptione exspectanda ex bona mentis conuiuiae eius affectione pendet; nullam enim symbola, quae distribuuntur, vim habent physicam animum hominis, ea accipientis, mutandi. Quia etiam tota ritus huius ratio cognoscenda est illi, qui eum cum fructu exsequi vult: non nisi adultiores et debita religionis

nis christianae scientia instructi ad sacram coenam sunt admittendi.

Nonnulli ex falsa opinione de sacra coena varia sibi fingunt commoda illi adhaerentia et de veris, ex illa consequendis, non sunt solliciti. Putant verbi caussa, sacram coenam esse cibum coelestem animi, per eam peccata sua expiari et morti proximos ea, tanquam viatico, ad iter, in vitam alteram instituendum, vti posse. An eius vsus renouatio foederis nostri cum Deo sit dicenda, a quibusdam non sine caussa dubitatur. Errores quidam de sacra coena exinde orti sunt, quod dicta Christi de carne sua edenda et sanguine bibendo Ioh. VI, 51-59 a plerisque ad sacram coenam fuerunt applicata.

§. CCXV.

Denique superest, vt praecipua, quae praeter et contra institutionem sacrae coenae olim sint innouata, et quomodo doctrina de illa a quibusdam sit deprauata, notemus. Iam Paulus sacrae coenae abusum quendam in ecclesia Corinthiaca taxat 1 Cor. XI. *Agapae*, quae tempore Apostolorum ex bono consilio cum sacra coena coniungebantur 1 Cor. XI, 20. Iudae v. 12. deinde tantopere a prima degenerauerunt laude, vt circa finem seculi quarti plane sint abrogatae. Ex valde antiquo more *vinum aqua mixtum* diu in sacra coena adhibebatur. *Eucharistia infantium*, cuius iam seculo tertio fit mentio, in ecclesia latina vsque ad seculum XII fuit in vsu, et adhuc in ecclesia graeca retinetur. Ad corruptionem doctrinae de sacra coena multum contulit opinio, qua illa valde mature tanquam religionis mysterium considerabatur, ad quod non nisi initiatis aditus pateret. Ex hac notione huius ritus originem duxit nimia symbolorum, in eo vsitatorum, veneratio; illis enim vis quae-

dam

dam diuina inesse credebatur. Hanc hominum de elementorum sacrae coenae ingenti sanctitate persuasionem ecclesiae patres summopere fouerunt et eorum quidam, cum pane corpus ac cum vino sanguinem Christi post consecrationem vnitum esse, sunt tuiti. Vnde tandem grauissimus error de transsubstantiatione elementorum seculo nono est natus (§. CX.), qui causa fuit, vt loco panis tenues hostiae forma orbiculata, oblatae dictae, seculo XI introducerentur, vt hostia adoraretur, in supplicationibus circumferretur, sola sine calice daretur laicis, vt sacra coena sacrificium haberetur incruentum et missae pro mortuis celebrarentur. In ecclesiae reformatione ZWINGLIVS sacram coenam ad primam simplicitatem reducere studuit et rectam verborum institutionis detexit explicationem; LVTHERVS missam quidem ecclesiae Romanae repudiauit, retinuit tamen quosdam ex ritibus eius et transsubstantiationi substituit consubstantiationem. Quod ob hanc rem Protestantes in duas diuisi sint partes, iam supra (§. CXII.) est indicatum.

Qui plura de nouis institutis, in sacrae coenae celebratione tempore succedente probatis, desiderat nosse, consulat IOH. DALLAEVM *de cultibus religiosis Latinorum* Libr. III-IX. et IOSEPHVM BINGHAMVM in indice *Originum ecclesiasticarum*, sub vocibus: *Communio* et *Eucharistia*. Addatur RVD. HOSPINIANI *Historia Sacramentaria*, cuius prior Tomus oppositus est Romano-Catholicis, posterior autem lites inter Reformatos et Lutheranos de coena Domini a 1517-1602 agitatas exponit. *Historiam eucharistiae infantium* in libro peculiari, Berolini 1736. 8. euulgato, contexuit PETR. ZORNIVS. Quam variis modis eucharistia abusi sint nonnulli, ostendit CHRIST. LVD. SCHLICHTERVS in *Commenta-*

mentatione, qua abusus quidam eucharistici ex antiquis monumentis bona fide excerpti illustrantur Halae 1734. edita. Praeter baptismum et sacram coenam quinque adhuc alios ritus, nempe confirmationem, ordinem, matrimonium, confessionem auricularem et extremam vnctionem sacramentorum loco habet ecclesia Catholico-Romana, quos Protestantes partim, vt duos postremos, ob causas sat graues, plane improbant, partim hoc nomine non censent dignos.

CAPVT XIII.

DE ECCLESIA CHRISTIANA.

§. CCXVI.

Ecclesia est coetus hominum, qui vnam eandemque religionem profitentur eamque exercere student. Pro diuersitate religionis, alia ecclesia ab alia diuersis distinguitur cognominibus. Sic *ecclesia*, religionis iudaicae studiosa, *iudaica* et religioni christianae dedita, *christiana* appellatur. Nihil quoque impedit, quo minus religionis Muhamedanae sectatores *ecclesiam muhamedanam* et religionis gentilis asseclas *ecclesiam gentilem* constituere dicamus. *Ecclesia* est vel *generalis*, quae omnes et singulos, religionem quandam profitentes, complectitur; vel *particularis*, quae in quibusdam sententiis et ritibus ab aliis eiusdem religionis confessoribus differt; vel *singularis*, quae in loco quodam determinato religionis causa congregatur. Religio vocari potest eadem vel ratione tantum nominis, quo insigniri solet;

vel

vel ratione doctrinae et rituum, in quibus aliquis est consensus. Sic religio christiana in genere nominatur, quae vel in omnibus, vel tantum in quibusdam institutis ad Christi praescripta est formata. Illi ipsi, qui arbitrantur, se plane eandem religionem profiteri, in diuersis opinionibus a se inuicem dissentiunt et tantum in quibusdam eandem sequuntur formulam. Cum hic nobis de ecclesia christiana agendum est, eam praecipue spectabimus, vti deberet esse, non vti certo tempore et loco fuit. Vtemur autem in sequentibus saepius vocabulo, ecclesia, sine vllo additamento, et ecclesiam christianam intelligemus.

Ecclesia proprie notat concionem populi, ad certum finem congregatum Act. VII, 38. c. XIX, 32. 39. 40. deinde conuentum, religionis caussa institutum 1 Cor. XIV, 4. 5. 28. 34. 35. hinc societas, tam particularis, quam vniuersalis, quae religionem christianam profitetur, hoc nomine gaudet Act. II, 47. c. VIII, 3. c. XII, 1. c. XX, 28. Plures alias huius vocis significationes enumerat IOH. CASP. SVICERVS in *thesauro ecclesiastico* p. 1049 seqq.

§. CCXVII.

Ii, qui religionis christianae caussa societatem quandam ineunt, in id sunt intenti, vt in religione hac magis magisque confirmentur, vt eam conseruent, numerum confessorum eius augeant et sic suam et aliorum promoueant felicitatem. *Finis* ergo *ecclesiae* est religionis christianae conseruatio, propagatio et per eam hominum felicitatis procuratio. Ad hunc finem obtinendum opus est non solum doctoribus, qui alios in hac religione erudiant, sed etiam conuentibus sacris, vt plures certo tempore et loco quibusdam religionis exercitiis simul dent operam, siue cultum Dei publicum peragant. *Ministe-*

rium ecclesiasticum, siue ordinem eorum, qui rectam religionis christianae doctrinam ecclesiae cuidam tradant illique praesint, Christus ipse instituit Ephes. IV, 11. (confer. §. c.), cuius tanto maior est vtilitas, quo aptiores ad omnes officii sui partes explendas et diligentiores in cura sibi demandata sunt eiusmodi religionis doctores 1 Tim. III, 1-7. Tit. I, 6-9. Multum quoque situm est momenti in *cultu Dei publico* ad animos hominum ad veram religionem formandos, inprimis si cum illo repetita institutio in rebus, ad pietatem spectantibus, coniungitur Matth. XVIII, 18. 19. 1 Tim. IV, 13. quod eo magis est necessarium, vt pauciores sufficiant ad plures docendos.

Vtilitas ministerii ecclesiastici contra obtrectatores eius defenditur in libello germanico: *Ueber die Nutzbarkeit des Predigt-amts und deren Beförderung*. Berolini 1772. 8. Quantum subsidii ad religionis et bonorum morum conseruationem atque incrementum adferat bene ordinatus isque publicus Dei cultus, demonstratur in scripto gallico: *Reflexions sur les Moeurs, sur la Religion et sur le culte, par* I. VERNET. Geneuae 1768. 8. De ratione cultus Dei publici tempore Apostolorum consulatur IOH. FRID. BVDDEI *ecclesia apostolica*. Ienae 1729. 8. Qualis ea fuerit paulo post in *homileticae* nostrae §. CCLVIII. breuiter exponitur. Fini ecclesiae inseruiunt quoque scholae tam superiores, quam inferiores, in quibus, vti aliarum rerum cognitu vtilium, sic etiam religionis habetur ratio.

§. CCXVIII.

Omnes, qui religionem christianam profitentur, ad *ecclesiam externam*, siue *visibilem*, pertinent; quia vero

vero tantum pars eorum, qui religionem chriſtianam profitentur, eius veram indolem perſpectam habet et illi conuenienter viuit, ex illa componitur *eccleſia interna*, ſiue *inuiſibilis* Matth. VII, 21. 2 Tim. II, 19-21. Dici haec poteſt *catholica*, ſiue *vniuerſalis*; quia quoscunque omnium temporum et locorum verae fidei et virtutis cultores complectitur eſtque *ſancta* Epheſ. V, 25. quia morum puritati maxime ſtudet. Omnis, praecipue interna eccleſia, conſtituit corpus, ſiue ſocietatem, cuius caput eſt Chriſtus Col. I. 18. Epheſ. I, 22. 23. et cuius membra pro diuerſa ſua qualitate ad commune bonum conſpirare debent Rom. XII, 4. 5. 1 Cor. XII, 12-27. 1 Petri IV, 10. quam propenſionem ad mutua commoda promouenda *communionem ſanctorum* nonnulli vocare ſolent, quamuis illa paulum alio ſenſu in ſymbolo apoſtolico accipiatur. Diuiditur eccleſia interna in *militantem* et *triumphantem*, quia vita chriſtiana cum militia comparatur Epheſ. VI, 12 ſeqq. 1 Tim. VI, 12. 2 Tim. II, 3 5. et qui hic hoſtibus ſuis ſpiritualibus fortiter reſtiterunt, olim poſt mortem victoriae ſuae ampliſſima accipient praemia 2 Tim. IV, 7. 8. 1 Ioh. V, 4. Hebr. XII, 22. 23.

Communio ſanctorum, cuius in ſymbolo apoſtolico fit mentio, intelligenda eſt de particularium eccleſiarum commercio, vti PETRVS KING in *hiſtoria ſymboli apoſtolici* c. VI. §. 18 ſeqq. pag. 287. ſeqq. pluribus docet. Cum eccleſia chriſtiana longe plura et maiora ad verae religionis cognitionem habet ſubſidia, quam vetus eccleſia iudaica, haud parua quoque inter vtramque intercedit diuerſitas, quae tamen non impedit, quo minus viam ad ſalutem aeternam aeque patuiſſe ſinceris Dei cultoribus ſub veteri, ac ſub nouo Teſtamento ſtatuamus. Quamuis pii ſub veteri oeconomia ex pro-

missionibus diuinis quaedam de futuro Messia potuerint cognoscere, nihil tamen certi de spe, quam in ipso posuerint, constat. Eorum fidem in Christum quidam adstruere volunt dicto Petri Act. XV, 11. quod, vt opinioni suae faueat, interpretantur. Neque omnia probanda sunt, quae de statu fidelium V. T. COCCEIVS et qui eum sequuntur disputant.

§. CCXIX.

Ecclesia externa eo est melior, quo maius in doctrinae religionis et morum puritate tuenda collocat studium et quo pluribus constat, qui ad religionis, quam profitentur, praecepta vitam suam instituunt (§.CCXVII.). Plerumque ecclesiae externae praestantia censetur ex professione doctrinae purae, siue *orthodoxia* et certo ordine, in cultu Dei publico atque in compescenda errorum ac vitiorum propagatione seruando, siue *disciplina ecclesiastica.* Est vero orthodoxia alia in se spectata, firmis rationibus nixa; alia relatiua, ex parte auctoritate humana stabilita, quam quaeuis ecclesia particularis sibi vindicat; neque disciplina ecclesiastica in omnibus ecclesiis particularibus est eadem. Si ea ecclesia particularis habetur vera, in qua summa orthodoxia et optima disciplina ecclesiastica viget, ob omnium rerum humanarum imperfectionem non facile inuenietur ecclesia, cui hoc nomen conueniat; ideo inter diuersas ecclesias particulares ea dicenda est praestantior, quae minus est imperfecta. Varii autem sunt gradus imperfectionis, quorum quidam non impediunt, quo minus ecclesia quaedam dicatur vera, si id intelligatur de summa rerum, ad salutem aeternam consequendam cognitu necessariarum, quam retinet, et de debito pietatis studio, cui est dedita. Ex opinione quorundam optima ecclesia illa est, quae ad exemplum apostolicae sit formata Act.

II, 42.

II, 42. quod tamen ex parte tantum concedendum esse videtur (§. CI.)

Multi ex Protestantibus quatuor has verae ecclesiae ponunt notas: 1) doctrinae puritatem, 2) cultum Dei publicum, ab omni superstitione alienum, 3) rectam sacramentorum administrationem, 4) vitae sanctitatem et amorem mutuum. Ex Romano-Catholicis alii vnam vel duas, alii plures ecclesiae verae volunt esse notas. BELLARMINVS eas auget ad quindecim, quae sunt sequentes: 1) nomen catholicum, 2) antiquitas, 3) duratio perpetua, 4) multitudo, 5) successio, 6) conspiratio in doctrina cum ecclesia veteri, 7) vnio membrorum inter se et cum capite, 8) sanctitas doctrinae, 9) efficacia doctrinae, 10) sanctitas vitae primorum auctorum, 11) gloria miraculorum, 12) lumen propheticum, 13) confessio aduersariorum, 14) infelix exitus persecutorum, 15) felicitas temporalis eius defensorum. Eas plerasque fictas esse, plures euicerunt. Vid. FR. TVRRETINI *Institutio theologiae elenchticae*, Tomo III. p. 108 seqq. et PHIL. *a* LIMBORCH *Theologia Christiana* p. 816 seqq.

§. CCXX.

Ad doctrinae religionis puritatem in ecclesia conseruandam adhibita olim sunt et adhuc in plerisque locis adhibentur *Symbola*, siue fidei confessiones, ad quas, tanquam normam, doctrina religionis sit componenda. Eorum quaedam condita sunt in *conciliis* et *synodis*, in quibus vel plurium, vel paucorum coetuum ecclesiasticorum antistites congregati, vel omnem, vel particularem quandam ecclesiam repraesentare et fidei eius interpretes esse putabantur; vnde factum est, vt ecclesia in *repraesentantem* et *repraesentatam* diuidi soleret et vt in con-

uentibus hisce constituta legis vim habere existimarentur (§. CIV.). Qui primum his remediis ad doctrinae religionis puritatem tuendam sunt vsi, sibi persuasisse videntur, ad perfectam ecclesiae vnionem etiam absolutam fidei vnitatem necessariam esse; sed non considerabant: 1) optimam fidei normam ipsam esse sacram Scripturam, nec praeter eam nos alia indigere Ephes. II, 19. 20. 2 Tim. I, 13. 2) praescriptis ab hominibus fidei formulis sentiendi libertatem, ad veritatis examen et cognitionis incrementum valde appositam, summopere impediri et interdum graues confirmari errores 1 Cor. VII, 23. Gal. V, 1. Col. I, 11. 3) sufficere vnitatem fidei in fundamento religionis et magnam sententiarum de rebus credendis diuersitatem vinculum caritatis non diuellere, si quiuis debitae studeat tolerantiae 1 Cor. III, 11 - 15. Ephes. IV, 3 - 5. Philip. III, 15. 16. Si ipsa symbola spectamus, valde diuersi sunt valoris. Symbolum antiquissimum, quod habemus, apostolicum dictum (§. CII.), adhuc ob breuitatem et simplicitatem suam ab omnibus Christianis merito probatur. Cum in cunctis fere conciliis et synodis partium regnauit studium et cum iis turbae in ecclesia plerumque auctae, non sopitae sunt, id quod eorum testatur historia: quam parum eorum tribuendum sit decretis, neminem, qui de illis recte iudicare valet, fugit. Post reformationem et diuersae ecclesiae Protestantium et Romano-Catholici suis libris symbolicis se a se inuicem distinxerunt. Qui nouit, quem in finem et qua ratione singuli eorum fuerint exarati: quodnam pretium et qualem habeant auctoritatem, facile intelliget. An vero in genere, et praesertim in ecclesiis Protestantium, tantus sit vsus librorum symbolicorum, quantum haud pauci volunt, non sine causa a quibusdam dubitatur (§. CXIV, n. 1.).

Noſtro tempore de vtilitate et neceſſitate librorum ſymbolicorum multum in vtramque partem et diſputatum. Confer. IOH. GOTTLIEB TÖLLNERI *Unterricht von ſymboliſchen Büchern überhaupt.* Züllichouiae 1769. 8. GVIL. CRICHTONI *de fide humana libri IV.* Traiecti ad Viadrum 1771. 8. et *The Confeſſional, or: a full and free Enquiry into the Right, Utility, Edification and Succeſs of eſtabliſhing ſyſtematical Confeſſions of faith and doctrine in Proteſtant Churches.* The ſecond Edition. London 1767. 8. Huius libri, quem ſcripſit BLACKBVRNE, recenſio habetur in des *Brittiſchen theologiſchen Magazins* Vol. I. Parte 2. p. 1. ſeqq. Ibid. in Vol. IV. p. 592. ſeqq. exſtat: *Abriſs der Streitigkeiten über das Confeſſional* et p. 608. ſeqq. *Verzeichniſs der Schriften, die durch das Confeſſional veranlaſst worden ſind*, cum quibusdam aliis, ad hanc cauſam pertinentibus. Quaedam de ſcriptis ſymbolicis, quibus recentioribus temporibus diuerſae vtuntur eccleſiae, notantur in *Encyclopaediae* noſtrae *theologicae* §. CCCCXVI.

§. CCXXI.

Multum eccleſiae intereſt, decentem ordinem in cultu Dei publico ſeruari, errores grauiores et morum corruptionem praecaueri (§. CCXVII.), eum in finem *certae leges* et *diſciplina eccleſiaſtica* (§. CCXIX.) ſunt conſtituendae; quae leges et quae diſciplina eo erunt meliores, quo ſunt aptiores ad veram eccleſiae ſalutem promouendam et quo magis cum natura religionis chriſtianae conſentiunt. In iis quoque temporum et nexus eccleſiae cum ſtatu ciuili ſemper habenda eſt ratio. Religio chriſtiana, quae tota in veritate et virtute colenda

verſatur, nullis violentis ad ſui conſeruationem indiget remediis. Veritas non armis, ſed rationibus, eſt defendenda et non niſi contra iniuſtos perſecutores in quibusdam caſibus vim vi repellere licet. Errores, etiam grauiores, refutandi, non vero poenis ſunt coercendi. Ad virtutem et veritatis profeſſionem nemo eſt cogendus. Particularis quaedam eccleſia nullum ius habet alteram ob opinionum diuerſitatem vexandi aut opprimendi; ſed eam potius oportet tolerantem eſſe et paci ſtudere atque omnes rixarum cauſas vitare. Laetus erit cuiuscunque eccleſiae ſtatus, ſi muneribus eccleſiaſticis praeficiantur viri, ſolida doctrina et ſincera pietate praediti, ſi educationi iuuentutis recte proſpiciatur, ſi multi in religionis proficiant cognitione et ei conuenienter viuant, ſi, qui ſupremo eccleſiae regimini praeſunt, id omni agant cura, vt doctores religionis ſuum faciant officium, nec iuſto maiorem ſibi arrogent auctoritatem et ſi nulla aduerſa vis religionis exercitium turbet. Ex his iudicari poteſt, quam parum probanda ſit rigida illa *diſciplina eccleſiaſtica*, quae ad Phariſaeorum exemplum Ioh. IX, 22 et ad hierarchiam ſtabiliendam olim fuit adhibita et quae in eccleſia Romana tandem in terribilem degenerauit inquiſitionem (§. CVIII.). Huius diſciplinae etiam poſt reformationem quaedam remanſerunt reliquiae et adhuc inter Proteſtantes haud pauci ſunt, qui nimio zelo in haereticos et alios errantes indulgent atque poenis eccleſiaſticis, quibus illi et grauiter peccantes afficiantur, valde fauent. Singularis erat poteſtas, quam Chriſtus Apoſtolis conceſſit Matth. XVI, 19. c. XVIII, 18. vnde vſum clauium male nonnulli deriuant; neque quae Chriſtus de ſegregandis ab eccleſia immorigeris praecipit Matth. XVIII, 15-17; neque quae de poenis, quas Apoſtoli quibusdam ob male facta inflixerunt Act. V, 1-10. c. XIII, 6-11. 1 Cor. V, 1-5. 1 Tim. I, 20. legimus, vſui ſunt illis,

illis, qui noſtro tempore eandem diſciplinam eccleſiaſticam, quae in prima eccleſia fuit, eſſe debere arbitrantur.

Excommunicationis rationem, in ſynagoga olim vſitatam, fuſe explicat CAMP. VITRINGA *de ſynagoga vetere*, Libro III. parte I. c. 9. p. 730 ſeqq. Qualis diuerſis temporibus fuerit diſciplina eccleſiaſtica, docte demonſtrat LVD. ELLIES *du* PIN in *Diſſertationibus hiſtoricis de antiqua eccleſiae diſciplina.* Coloniae Agrippinae 1691. 4. euulgatis. Ad ea, quae ex nouo Teſtamento ad rigidam quandam diſciplinam eccleſiaſticam confirmandam adferri ſolent, recte intelligenda, conſuli poſſunt: *Anmerkung über die den Apoſteln verliehene Macht auf Erden zu löſen und zu binden* Matth. XVI, 19. c. XVIII, 18. in parte quinta *der vermiſchten Abhandlungen und Urtheile über das Neueſte aus der Gelehrſamkeit* p. 108. ſeqq. *Abhandlung von einigen Geboten des Evangelii, deren Verbindlichkeit nicht allgemein iſt*, ibid. in parte III. p. 175. ſeqq. *Unterſuchung des eigentlichen Verbrechens des Ananias und der Sapphira, zur Erläuterung des erſtern Theils des 5ten Kap. aus der Apoſtelgeſchichte*, ibid. in parte VIII. p. 301 ſeqq. *Einwürfe gegen das Verhalten der Apoſtel* et *Vertheidigung des Verhaltens der Apoſtel zur Beantwortung der vorhergehenden Einwürfe*, in Vol. I. der *Brittiſchen theologiſchen Bibliothek* p. 160 ſeqq.

Quinam ſint *haeretici* et *ſchiſmatici* et quanam ratione cum illis ſit agendum, quaeri ſolet. Haereticus, de quo Paulus loquitur Tit. III, 10. eſt is, qui in doctrina religionis exponenda factioni ſtudet et id tantum agit, vt nouae ſectae auctor habeatur. Ex opinione multorum dicendus eſt *hae-*

reticus qui, cum religionem chriſtianam profitetur, in fundamento fidei errat; quia autem alii plura, alii pauciora ad fundamentum fidei referunt, fit, vt iudicium de haereticis valde ſit diuerſum. *Schiſmatici* vulgo vocantur, qui ob opiniones, ad fundamentum fidei non ſpectantes pacem eccleſiae turbant et ſe ab eius ſeparant communione, vel ſaltem diſſidio, in eccleſia inde orto, dant occaſionem. In haereticos olim variae conſtitutae ſunt poenae, donec tandem capitis ſupplicio in eos eſt ſaeuitum. Hoc ius et fas eſſe, adhuc CALVINO et BEZAE eſt viſum, contra quos MINI CELSI, *Senenſis*, *Diſputatio in haereticis coercendis quatenus progredi liceat*, *vbi nominatim eos vltimo ſupplicio affici non debere aperte demonſtratur*, Chriſtlingae (i. e. Baſileae) 1577. 8. prodiit, et tantum alio titulo: *de haereticis capitali ſupplicio non afficiendis*, 1584. cum duabus Bezae et Dudithii epiſtolis eſt euulgata. Confer. etiam PETRI BAELII *Commentaire philoſophique ſur les paroles: contrain les d'entrer*, à Canterbury P. 1. et 2. 1686. P. 3. 1687. 12. IOH. LAVR. MOSHEMII *Diſſertationes III. de Theologo non contentioſo* ad 2 Tim. II, 23. 24. et Eiusdem *Diſputatio cum* STEPHANO IAVORSKIO *de poenis haereticorum*, quae exſtant in eius *Syntagmate Diſſertationum ad ſanctiores diſciplinas pertinentium*, Lipſiae et Goerlitii 1773. 4. edito.

Quanta cautione in definiendis articulis fidei fundamentalibus ſit opus, oſtenderunt IOH. ALPH. TVRRETINVS in *diſquiſitione theologica de articulis fundamentalibus*, quae legitur in Vol. III. *dilucidationum* eius, editionis 1748. 4. p. 29 - 80. et GVIL. CRICHTONVS in *diſputatione de praecipuis*

cipuis doctrinae christianae capitibus. Franco-furti ad Viadrum 1767.

§. CCXXII.

Ecclesia, vt quaeuis societas, *variis obnoxia est mutationibus;* potest igitur augeri et minui, potest deprauari et reformari, potest internis agitari motibus et externa affligi vi. Eam nunquam plane deletum iri et religionem christianam semper suos habituram esse sectatores, ex promissione Christi Matth. XVI, 18 conficitur. Magnam ecclesiae corruptionem, tam in doctrina, quam moribus, quam Paulus 2 Thess. II, 3-12. 1 Tim. IV, 1-3. 2 Tim. III, 1-9. praedixit, non multo post Apostolorum tempora incepisse et deinde auctam esse, ex historia ecclesiastica perspicitur. Quaecunque nonnulli de futuris adhuc ecclesiae fatis ex Apocalypsi colligere volunt, incertis nituntur coniecturis. Piis potius votis, quam claris Scripturae sacrae indiciis, cuiusmodi putantur esse Ioh. X, 16. Rom. XI, 25. 26. adscribenda sunt, quae de olim exspectanda omnium Iudaeorum et reliquarum gentium ad religionem christianam conuersione a multis creduntur. De praecipiis ecclesiae mutationibus antea quaedam dicta sunt in Cap. V; ideo hic possumus esse breuiores.

CAPVT XIV.

DE HOMINVM POST MORTEM FVTVRO STATV.

§. CCXXIII.

Homo ob animae suae immortalitatem (§. XLIII-XLVI. et XCVI.). *post mortem praemii benefactorum et poenae malefactorum est capax.* Vti in hac vita sta-

tus hominis antecedens cauſam continet ſequentis; ſic tota eius viuendi ratio eum vel aptum reddet ad meliorem conditionem, piis poſt mortem promiſſam, vel eum, vt indignum, loco beatorum excludet et miſeram ipſi parabit ſortem. Qui enim hic omni virtuti et pietati ſtudet, felicitatem, quam bene agendo conſequitur, tunc videbit auctam; qui vero hic pluribus deditus eſt vitiis et vel nefariis non abſtinet criminibus, mala, prauitatem ſuam comitantia, tunc non ſolum continuatum, ſed etiam multiplicatum iri intelliget Ioh. V, 28. 29. Rom. II, 6-11. Ideo in ſacris litteris ſub imagine meſſis, quaecunque in vita hac futura cuiuis vel ſint ſperanda, vel timenda, ſaepius delineantur Pſ. CXXVI. 5. 2 Cor. IX, 6. Gal. VI, 7-9. Vti enim quisque ſementem fecit, ita quoque metet. Cum Deus ob ſapientiſſimas rationes pleraque, ad ſtatum noſtrum futurum ſpectantia, caligine quadam texit: etiam de iis, quae poſt mortem euenient, tantum nonnulla generalia, quae ad commoda noſtra ſufficiant, nobis reuelauit; quibus tunc demum recte vtimur, ſi ita viuamus, vt mortem et quae eam ſequuntur, neque facile optemus, neque timeamus, et aeque a vana ſpe ac vanis terroribus ſimus liberi.

Scripta, quae de hoc ſtatu agunt, indicat IOH. GEORG. WALCHIVS in *Bibliothecae theologicae ſelectae* Tomo I. p. 135. ſeqq. et p. 282 ſeqq. quibus addantur IOH. DRIEBERGE *libri duo, vnus de bonis noui foederis et futuro hominum ſtatu, alter de baptiſmo et ſ. coena.* Amſtelodami 1746. 4.

§. CCXXIV.

Moritur homo, cum vita priuatur, ſiue cum omnes eius motus animales plane ceſſant. Ex ſententia multorum *mors* oritur ex ſeparatione mentis a corpore; quae definitio tunc demum difficultate caret, ſi ſeparatio haec

haec in ſublata harmonia mentis et corporis ponatur. Secundum ordinem ſapientiſſime a Deo conſtitutum omnibus hominibus, vti reliquis animantibus, moriendum eſt; quia orbis terrarum, in quo habitant, non cunctos, eorum numero continuata propagatione ſemper aucto, capere et alere poſſet. Eſt etiam eorum natura ita comparata, vt non niſi per certum tempus vigere et vires ſibi conceſſas exſerere valeant. Vti lampas deficiente oleo exſtinguitur, ſic homo ſenſim debilitata valetudine et iis, quae vitam alunt et ſuſtentant, conſumtis exſpirat. Aliis breuius, aliis longius vitae eſt curriculum Pſ. XC, 10. Alii violenta, alii naturali morte ſocietati hic aetatem degentium eripiuntur. Cum Paulus mortem per peccatum mundum intraſſe affirmat Rom. V, 12. eamque peccati appellat ſtipendium Rom. VII, 23. ad hiſtoriam lapſus primorum reſpicit hominum et intelligit mortem, cum multis aliis malis et triſtibus effectis coniunctam; hanc etiam ob cauſam peccatum mortis vocat aculeum 1 Cor. XV, 56. niſi dicere velis, poſt lapſum naturam hominum et reliquorum animantium plane eſſe mutatam. Ob eorum, quae mortem ſequuntur, ignorantiam multa iam ab antiquis temporibus de inferis ficta et credita ſunt; doctrinae vero euangelii clariorem et certiorem vitae poſt mortem futurae debemus notitiam 2 Tim. I, 10. qua gentiles caruerunt et ideo nullam habere ſpem dicuntur 1 Theſſ. IV, 13. Chriſtus vim morti eripuit, id eſt, effecit, vt mors vere piis non amplius eſſet terribilis, quia per illam in meliorem transferuntur vitam.

Vtrum mors fidelium ſit poena peccati, an minus, inter ſe diſputarunt HERM. ALEX. ROELL in *theſibus de generatione filii Dei et morte fidelium temporali* et CAMP. VITRINGA in *theſibus eiusdem argumenti*, vtrisque Franequerae 1689. editis. Quia mors fidelium eſt tantum malum apparens,

rens, non verum, poenae loco non eſt habenda. Varias diuerſarum gentium de inferis opiniones recenſet IAC. WINDET in libro, cuius titulus eſt: *Στρωματεὺς ἐπιστολικὸς de vita functorum ſtatu: ex Hebraeorum atque Graecorum comparatis ſententiis concinnatus.* Londini 1663. 4.

§. CCXXV.

Si quaeritur: *in quonam ſtatu animae hominum poſt mortem vsque ad reſurrectionem futurae ſint?* non idem omnibus placet. Alii enim eas poſt particulare iudicium Hebr. IX, 27. vel praemii, vel poenae ſtatim fieri participes, et piorum animas perennem adire felicitatem, quae tamen poſt reſurrectionem adhuc perfectior ſit futura; impiorum vero in maximam incidere miſeriam, id quod ſequentibus Scripturae ſacrae dictis Lucae XVI, 22 ſeqq. c. XXIII, 42. 43. 2 Cor. V, 8. Philip. I, 23. Apoc. XIV, 13. confirmare ſtudent. Alii contra ponunt ſtatum intermedium, in quo animae a corporibus ſuis ſeparatae, ſomno ſopitae, vsque ad vniuerſalem mortuorum reſurrectionem ſint permanſurae (§. XLVI.). Hanc ſuam opinionem iis Scripturae ſacrae locis, in quibus mortui, vt dormientes, deſcribuntur Matth. XXVII, 52. Ioh. XI, 11. 13. 1 Cor. XI, 30. c. XV, 20. 1 Theſſ. IV, 13. et aliis, in quibus diſtributio praemiorum et poenarum extremo iudicio reſeruata eſſe legitur Lucae X, 12. Rom. II, 16. 2 Cor. V, 10. 2 Tim. IV, 8. probabilem volunt reddere. Poſterior haec ſententia olim vulgatior et fere omnium fuit eccleſiae patrum; prior, vt ad inuocationem ſanctorum tuendam neceſſaria, primum in concilio Florentino, anno 1439 habito, et deinde etiam Tridentino publice eſt probata; quamuis cum illa alteram de purgatorio (§. CVII.) Romano Catholici coniungant. Ea quoque, reiecto purgatorio,

gatorio, Proteſtantibus arriſit, non tamen inter eos defuerunt, qui alteri adſtipularentur. Argumenta, ex ſacris litteris deſumta, quae vtraque pars in cauſae ſuae ſubſidium adfert, non niſi ſunt veriſimilia, et quoniam de ſtatu animarum intermedio nihil certi nobis eſt reuelatum, cuiuis licet vel iudicium ſuum de illo ſuſpendere, vel eam amplecti opinionem, quae minimis ipſi laborare incommodis videtur.

Vt DAN. WHITBY in *Diſſert. de ſacrarum Scripturarum interpretatione ſecundum patrum commentarios* p. 315 obſeruat: *ſtatuebant Patres antiquiſſimi, ſanctorum animas non extemplo in coelum empyraeum conſcendere, ſed manere in locis extra coelum, beatam reſurrectionem exſpectantes.* Confer. HEVMANNVS ad 2 Tim. IV, 8. Tempore reformationis plures ex Anabaptiſtis ſomnum animarum poſt mortem, vsque ad diem iudicii extremi continuatum, ſtatuebant, quibus in Heluetia ſe ZWINGLIVS, BVLLINGERVS et CALVINVS oppoſuerunt. Habemus duos libros CALVINI, contra eos ſcriptos, quorum prior ſub titulo: *Pſychopannychia, qua refellitur quorundam imperitorum error, qui animas poſt mortem vsque ad vltimum iudicium dormire putant: ſimulque docetur, quae ſit conditio et vita animarum poſt hanc vitam*, Aureliae 1534 prodiit, poſterior inſcribitur: *breuis inſtructio inſeruiens muniendis fidelibus aduerſus errores communis ſectae Anabaptiſtarum*, qui gallico ſermone 1544 euulgatus eſt. Opinionem de ſomno animarum poſt mortem pluribus refellere ſtuduerunt ISAAC WATT in *ſermonibus de mundo futuro*, qui ex anglica lingua in germanicam verſi, Halae 1745. 8. emiſſi ſunt et SIGISM.

IAC.

IAC. BAVMGARTEN in der VIten Sammlung seiner *theologischen Bedenken*, Halae 1748. p. 271-656. Vid. etiam THOMAS BVRNETVS *de statu mortuorum et resurgentium*. Londini 1726. 8. BERN. GEORG. DRECKMANNI *Dissert. sub praesidio* S. I. BAVMGARTENII Halae 1754. habita, quae *historiam doctrinae de statu animarum separatarum* continet et *die Geschichte der Lehre vom Seelenschlaf in der evangelisch-reformirten Kirche*, *in dem 2ten Theil der vermischten Abhandlungen und Urtheile über das Neueste aus der Gelehrsamkeit* p. 375 seqq.

Purgatorium, lucri causa inuentum, Romano-Catholici frustra locis quibusdam Scripturae sacrae v. g. Matth. V, 25. 26. c. XII, 32. 1 Cor. III, 10-15. c. XV, 29. adstruere conantur.

§. CXXVI.

Homines mortui, vt ex Christi et Apostolorum dictis discimus, aliquando *resurgent* i. e. reuiuiscent Ioh. V, 28. 29. c. VI, 40. Act. XXIV, 15. 1 Cor. XV, 12 seqq. Pro diuersitate opinionum de statu intermedio alii in resurrectione corpus, corruptione aut alia vi destructum, restitutum et ad motus vitales aptum redditum ac cum anima sua rursus vnitum iri; alii et corpus, ex reliquiis suis reparatum, et animam, ex somno excitatam, noua vita donatum iri arbitrantur. Erit vero *resurrectio vniuersalis* 1 Cor. XV, 22. paucis exceptis, qui iudicii extremi tempore viuent et quorum corpora subitam patientur mutationem ibid. v. 51. 52. 1 Thess. IV, 15-17. Omnes post resurrectionem habebunt corpus, nulli amplius destructioni obnoxium 1 Cor. XV, 53. et ad immortalem vitam comparatum, hinc a priori in multis diuersum ibid. v. 35-50. quamuis certa ratione idem dici possit.

possit. Piorum corpora excellentibus praedita erunt dotibus Matth. XIII, 43. Philip. III, 21. Doctrina de resurrectione mortuorum, quam ratio ignorat, etiam gentilibus incognita fuit et valde incredibilis est visa Act. XVII, 32. Inter Iudaeos tempore Christi Pharisaei mortuorum resurrectionem futuram esse affirmabant, quam negabant Sadducaei Act. XXIII, 8. non talem vero resurrectionem credidisse Pharisaeos, qualem religio christiana nos sperare iubet, tam ex Iosepho, quam ex disputatione Christi cum Sadducaeis Matth. XXII, 23-32. non obscure colligitur. In veteri Testamento nulla clara resurrectionis mortuorum fit mentio, nam quae pro illa adduci solent loca v. g. Iobi XIX, 25-27. Ies. XXVI, 19. 20. Ezech. XXXVII, 1-14. Daniel XII, 2. 3. de illa non agunt. Quia resurrectio saepe in genere notat ingressum in vitam nouam, post mortem futuram, etiam Christus illum intelligit, cum ex Exodi III, 6. contra Sadducaeos mortuorum resurrectionem Matth. XXII, 31. 32 demonstrat.

Resurrectio interdum significat vitae renouationem, quae resurrectio spiritualis vocatur, Rom. VI, 4. 5. Ephes. V, 14; interdum restitutionem in statum meliorem, hoc modo vsurpatur in locis veteris Testamenti, paulo ante citatis, quae de futura e mortuis resurrectione nonnulli interpretantur; interdum initium vitae, post mortem agendae Matth. XXII, 31. 32. Hebr. XI, 35; saepe hominis mortui in vitam reuocationem, vti Christi, Lazari et aliorum; cui similis futura esse creditur resurrectio mortuorum paulo ante extremum iudicium, quae, cum corpora mortuorum tunc plane erunt destructa, noua potius dicenda est creatio. Si quaeritur: vtrum idem numero corpus, an a priori in plerisque diuersum, sit resurrecturum, aliis prius extra dubium

bium positum esse videtur; alii posterius ob plures caussas necessarium esse et parum referre, quale habituri simus corpus, si modo animae conueniens et ad conditionem vitae alterius sit aptum, existimant. Vid. praeter TH. BVRNETVM *de statu mortuorum et resurgentium*, BERNARDI CONNOR *Euangelium Medici* Londini 1697. et Ienae 1724. 8. et IOH. BERNOVLLI *Dissert. de nutritione*, quae recusa est in *Tempe Heluet.* Tomo I. sect. 2. p. 93 seqq. Quidam in morte hominis animam tenue corpusculum, in sua sede latens, secum auferre, cuius euolutione oriturum sit corpus, quo in vita altera gaudebit arbitrantur. Hanc opinionem commendat CAROLVS BONNET in *Essay analytique sur les facultés de l'ame.* Hafniae 1760. 4.

Ad varias difficultates, vulgarem de resurrectione mortuorum doctrinam prementes, tollendas nouam, examine dignam, de illa in medium protulit sententiam Anglus quidam in Commentatione, IOSEPHI PRIESTLEY collectioni diuersorum opusculorum theologicorum (*Theological Repository*) inserta, quae in linguam germanicam versa exhibetur sub hoc titulo: *Versuch eines Beweises, dass die Auferstehung unmittelbar nach dem Tode erfolge*, in des *Brittischen theologischen Magazins* Vol. IV. parte 2. p. 291-341. Doctrinam de resurrectione mortuorum tam Iudaeis, quam gentilibus, olim ignotam fuisse, ostendit IOH. LAVR. MOSHEMIVS in *Dissertatione, qua docetur, seruatorem nostrum Iesum Christum resurrectionem mortuorum corporum, qualem Christiani credunt, ex tenebris in lucem reuocasse et demonstrasse*, quae etiam exstat in Vol. II. *Dissertationum* eius *ad Historiam ecclesiasticam* perti-

pertinentium p. 586. seqq. Ad historiam huius dogmatis illustrandam facit GVIL. ABR. TELLERI *Dogmatis de resurrectione carnis per IV. secula enarratio.* Halae 1766. 8.

§. CCXXVII.

Homines resuscitati *iudicabuntur* i. e. sors eorum pro ratione vitae hic actae in futurum tempus definietur. Cum Deus est iustissimus, in praesenti autem rerum conditione non semper virtutis studiosi merita accipiunt praemia; contra saepe vexantur et opprimuntur, improbi vero haud raro res suas ex voto agunt eorumque male facta manent impunita: ipsa ratio graues nobis suppeditat causas exspectandi tempus, quo cuiuis, quod actionibus eius sit dignum, compensabitur (§. XLIV.) Eccles. VIII, 14. c. XII, 13. 14. Mal. III, 18. Matth. XIII, 24-30. Hinc factum est, vt etiam inter gentiles opinio de praemiis et poenis, post mortem distribuendis, valde fuerit vulgaris. Multo autem clariora et certiora de futuro hominum iudicio ex Scriptura sacra discimus. Amplissimam eius descriptionem habemus Matth. XXV, 31-46. quae, licet non omnia secundum litteram sint capienda, praecipua tamen doctrinae de illo continet momenta. Iudicium hoc extremum praecedent *resurrectio mortuorum* Ioh. V, 28. 29. 1 Thess. IV, 16. 17. et *consummatio huius seculi*, siue interitus terrarum orbis per ignem, qui potius renouatio eius erit Ps. CII, 26-28. Matth. XXIV, 35. 1 Cor. VII, 31. 2 Petri III, 10-13. *Tempus*, quo haec omnia euenient, determinatum quidem Act. XVII, 31. non vero eiusmodi indicatum est notis, vt a quoquam praeuideri et praedici possit Matth. XXIV, 36. 2 Petri III, 10. operam ergo suam perdunt, qui de illo praenuntiando laborant.

Quae plures ex gentilibus de extremo statuerint iudicio, exponit TOBIAS PFANNERVS in *Systema-*

te Theologiae gentilis purioris pag. 445. seqq.

Incendii generalis, quod orbem terrarum olim destruet, alii alias adferunt causas. Praestat vero in eo explicando suam fateri ignorantiam, quam incertis indulgere coniecturis. Stoicorum quorundam de hoc incendio sententiam declarat et diiudicat IAC. THOMASIVS in *Exercitatione de Stoica mundi exustione*, quae cum aliis eius dissertationibus XXI prodiit Lipsiae 1676. 4. Temeritatis notam merito incurrunt, qui ex calculis quibusdam extremi iudicii elicere volunt tempus, id quod PETRVS ALIACENCIS, CARDINALIS, IOH. PICVS MIRANDVLA, MICHAEL STIFELIVS, CYPRIANVS LEOVITIVS, PHIL. NICOLAI, IOH. HEYN, IOH. ALB. BENGELIVS et nonnulli alii fecerunt.

§. CCXXVIII.

Iudex hominum supremus est *Deus* Genes. XVIII, 25. Hebr. XII, 23. Iac. IV, 12. Eius autem in hoc extremo iudicio personam sustinebit *Iesus Christus* Ioh. V, 22. Act. X, 42. c. XVII, 31. 2 Cor. V, 10. quia, vt homo, visibili forma praeditus et, quaenam esset hominum conditio, ipse est expertus Hebr. IV, 15. quia etiam ob grauissimos labores exantlatos ad hoc gloriae fastigium est elatus, vt ipsi data sit summa in angelos et homines potestas Matth. XXVIII, 18. Philip. II, 9. c. III, 21. Hebr. II, 9. Eius *ad hoc iudicium aduentus* erit illustrissimus Matth. XXV, 31. 1 Thess. IV, 16. 1 Tim. VI, 14. 2 Tim. IV, 1. Tit. II, 13. *Iudicium ipsum* erit: 1) *vniuersale*, nam coram eo comparebunt omnes et singuli homines, cuiuscunque aetatis et conditionis Matth. XXV, 18. 2 Cor. V, 10. viui et mortui 2 Tim. IV, 1. etiam sententia, in malos angelos lata, confirmabitur 2 Petri II, 4. Iudae v. 6; 2) *exactissimum*, ratio

tio enim reddenda erit non ſolum factorum 2 Cor. V, 10. et dictorum Matth. XII, 36. ſed etiam mentis cogitatorum prauorum 1 Cor. IV, 5. Hebr. IV, 12. exquiretur quoque, quid boni, ad quod peragendum aliquis fuit obſtrictus, ab ipſo ſit omiſſum Iac. IV, 17. et quomodo vnusquisque dotes ſibi tributas impenderit Matth. XXV, 14-30; 3) *iuſtiſſimum* et *aequiſſimum*, absque enim partium ſtudio et perſonarum reſpectu ſecundum meritum ſuum quilibet vel abſoluetur, vel condemnabitur Rom. II, 6-11. alia tamen lege agetur cum illis, qui voluntatem Dei reuelatam cognouerunt, ac cum illis, qui eius caruerunt ſcientia ibid. v. 12-16; 4) *plane decretorium*, nulla enim ad aliud iudicium locum habebit prouocatio nihilque ſententiae, in eo pronuntiatae, impediet exſecutionem Matth. XXV, 46. 1 Tim. VI, 14. 15.

§. CCXXIX.

Pii ex hoc iudicio diſcedent *abſoluti* et praemii loco magna et perpetua fruentur felicitate, quae *vita aeterna* Matth. XXV, 46. Ioh. III, 16. 36. Rom. VI, 23. 1 Tim. VI, 12. *haereditas* 1 Petri I, 4. Hebr. IX, 15. *regnum* Matth. XXV, 34. 1 Cor. XV, 50. Epheſ. V, 5. Hebr. XII, 28. *gloria* Rom. V, 2. c. VIII, 18. 2 Cor. IV, 17. Col. III, 4. 1 Petri V, 10. *corona gloriae* 1 Petri V, 4. et *vitae* Apoc. II, 10 vocatur atque adhuc aliis exprimitur nominibus et imaginibus. Quamuis non niſi debilem et adumbratam huius felicitatis nobis formare poſſimus notionem 2 Cor. XII, 4; in genere tamen nouimus, eam tantam fore, vt nihil in ea ſit deſiderandum. Cum omnis felicitas poſſeſſione multarum rerum praeclararum ſiue perfectionum continetur, pii beatiſſimi erunt in coelo, quia tam ratione mentis et corporis, quam ratione ſtatus externi plane eximiis affluent bonis et non ſolum a malis moralibus, ſed etiam phyſicis erunt liberi. *Mens* eorum inſigni gaudebit ſcientia

Dei, sui ipsorum et totius mundi 1 Cor. XIII, 9-12 quae continuo augebitur. Ob clariorem et distinctiorem Dei cognitionem, quam consequentur, eum visuri esse dicuntur Matth. V, 8. Hebr. XII, 14. *Voluntas* eorum in recti studio ita erit confirmata, vt omnem in peccatum lapsum sint euitaturi Lucae XX, 36. Eorum *corpus* erit gloriosum et nulli infirmitati aut morbis obnoxium Matth. XIII, 43. Lucae XX, 36. 1 Cor. XV, 42-44. Philip. III, 21. Apoc. XXI, 4. nec cibo, nec potu, nec aliis rebus, sensus tantum delectantibus, indigens Lucae XX, 35. 1 Cor. VI, 13. *Status* eorum *externus* conueniens erit reliquis, quibus abundabunt, bonis. Inprimis consortium aliorum, in omni virtute praestantium, quo vtentur, multum ad eorum vitam exhilarandam conferet. *Locus*, in quo versabuntur, quem coelum vocat Scriptura sacra Col. III, 1. 3. Philip. III, 20. 1 Petri I, 4 etiam aptus erit ad puram, quam percipient, voluptatem augendam. *Occupatio* eorum, quae praecipue in celebrandis diuinis virtutibus consistet, nullo cum taedio erit coniuncta. Felicitas haec, cuius *diuersi* erunt *gradus* Lucae XIX, 16-19. 1 Cor. XV, 41. 42. 2 Cor. IX, 6. nullum habebit finem, sed in aeternum continuabitur Lucae XX, 36. 2 Tim. I, 10. 1 Petri I, 4. Hebr. X, 34.

§. CCXXX.

Impii ex hoc iudicio discedent *condemnati* et in maximam incident miseriam, quae dicitur *supplicium aeternum* Matth. XXV, 46. *ignis aeternus et gehennae* Matth. XVIII, 8. 9. c. XXV, 41. *qui non exstinguetur* Marc. IX, 44. 46. 47. *tenebrae exteriores* Matth. VIII, 12. c. XXII, 13. *fornax ignis*, *vbi erit fletus et stridor dentium* c. XIII, 42. c. XXIV, 51. *ignis ardens*, *qui consumet aduersarios* Hebr. X, 27. *exitium aeternum* 2 Thess. I, 9. Nonnullae adhuc aliae

de

de poenis inferorum occurrunt locutiones, quae in genere indicant, impios in triſtiſſimo verſaturos eſſe ſtatu. Priuati erunt felicitate, piis deſtinata, 1) quia illa plane ſunt indigni, 2) quia bonis coeleſtibus non delectarentur, 3) quia peruerſis ſuis moribus beatorum turbarent ſocietatem. Miſeri erunt et *animo* ob ignorantiam et errores, quibus laborant, ob malas, quibus amplius ex voto indulgere nequeunt, cupiditates atque ob praue commiſſorum, qua angentur, conſcientiam et *corpore*, quod moleſto ſenſu ac variis afficietur doloribus. Horum cauſam qui ignem materialem futurum eſſe putant, nimis verbis Scripturae ſacrae inhaerere videntur. Eorum quoque *ſtatus externus* calamitatis erit plenus. *Contubernio* vtentur funeſto. *Locus*, in quo commorabuntur, cuius ſitus eſt incertus, vt horridus et terribilis deſcribitur. Erunt tamen pro diuerſitate culpae *diuerſi poenarum gradus* Matth. XI, 22. 24. Lucae XII, 47. 48.

§. CCXXXI.

De *duratione harum poenarum* in vtramque partem diſputari ſolet. Alii, eas ſempiternas fore et omni carituras eſſe fine, ſibi perſuadent; id quod dictis Scripturae ſacrae, in principio praecedentis paragraphi citatis, praecipue Matth. XXV, 46. adſtruere ſatagunt. Vtuntur quoque aliis adhuc rationibus, ex quibus appareat, non ſperandam eſſe ab hac miſeria liberationem. Dicunt enim, peccata commiſſa eſſe contra ſummam Dei maieſtatem et ideo mereri maximam i. e. aeternam poenam; conſequentia peccatorum eſſe aeterna, iuſtam igitur eſſe caſtigationem nunquam finiendam; Deum praeuidiſſe, homines malos, ſi in perpetuum vixiſſent, in peccando perrecturos fuiſſe, dignos ergo eſſe, qui in perpetuum crucientur; tempore gratiae a peccatoribus neglecto, nullum eſſe redemtorem, per quem a malefa-

ctorum ſuorum poenis liberentur, non poſſe ergo non in carcere detineri, vt ipſi delictorum ſuorum luant poenas et diuinae ſatisfaciant iuſtitiae; ſi ponatur, id quod ipſis a vero non abhorrere videtur, malos diu grauiſſima perpeſſos non emendari, ſed vel deteriores fieri, vel in eadem, cui antea dediti erant, perſeuerare nequitia, per ſe intelligi, poenas eorum nunquam ceſſaturas, quamdiu peccandi non fecerunt finem. Alii contra, aeternitatem poenarum bonitati et iuſtitiae Dei repugnare et vel deſtructione eorum, qui eas luunt, vel deminutione earum, ob ſenſum paulatim obduratum, ſuccedente tempore aucta, impediri contendunt. Ex eorum ſententia omnes poenae diuinae ad malorum tendunt correctionem, qua obtenta, illi in meliorem reſtituentur ſtatum. Aeternum, vti obſeruant, in Scriptura ſacra non ſemper tempus nunquam finiendum, ſed ſaepe indefinitum, licet longius, ſignificat v. g. Iudae v. 7. Addunt, ſi etiam ex quibusdam Scripturae ſacrae dictis pateret, Deum peccatoribus haud reſipiſcentibus poenas aeternas minatum eſſe, eum tamen, in melius mente eorum mutata, comminationem hanc non eſſe exſecuturum, vti olim in cauſa Niniuitarum fecit. Noſtro iudicio tantum abeſt, vt rationibus philoſophicis, quas nonnulli excogitauerunt, aeternitas poenarum demonſtrari poſſit, vt potius aliae illi maxime ſint contrariae. Si vero ſolis Scripturae ſacrae hac de re effatis ſtandum eſt, id ſaltem ex illis elucet, grauiſſimam fore poenam, quae impios poſt mortem maneat et quae omni cura ſit cauenda.

Argumenta, quae pro aeternis impiorum poſt mortem poenis adduci ſolent, expoſuerunt IOH TILLOTSON in *concione ſacra ad* Matth. XXV, 46. quae eſt vndecima germanice verſarum, SIGISM. IAC. BAVMGARTEN in *Vindiciis* poenarum aeternarum. Halae 1742. IOH. ERN. SCHVBERT

BERT in den *vernünftigen Gedanken von der Ewigkeit der Höllenstrafen.* Ienae 1748. 4. IOH. FRID. STIEBRITZ in der *erwiesenen Ewigkeit der Höllenstrafen.* Halae 1747. 4. IAC. ELIAS TROSCHEL in *Demonstratione aeternae peccatorum damnationis, speciatim ex scientia media, praeside* BAVMGARTENIO *defensa.* Halae 1757. Illa docte et libere diiudicat IOH. HENR. PISTORIVS in corollario ad DAV. HARTLEY *Betrachtungen über den Menschen* Vol. II. p. 579 seqq. Praeter ORIGENEM, nonnulli ecclesiae patres poenas has non nisi purgatorias et pro peccatorum diuersitate vel citius, vel tardius finiendas esse arbitrati sunt. Confer. IOH. AVGVSTINI DIETELMAIERI *Commenti fanatici de rerum omnium ἀποκατάστασει Historia antiquior.* Altorfii 1769. 8. Sententiam hanc de restitutione omnium rerum (Act. III, 21.), siue aeterno euangelio, e recentioribus plures probauerunt eamque sequentibus Scripturae sacrae dictis 1 Cor. XV, 22-28. Ephes. I, 10. Col. I, 20. 1 Tim. II, 4. conuenientem esse voluerunt. Totius substantiae impiorum post longa supplicia destructionem inter alios tuetur Anglus SAM. BOVRN in *concione sacra ad* 2 Thess. I, 19. quae in Vol. II. sermonum eius, in linguam germanicam translatorum et sub titulo: *Die Verbindung der natürlichen Religion mit der christlichen Offenbarung in einer Reihe geistlicher Reden,* Bremae 1770. 8. editorum, p. 252. seqq. exstat.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

Numeri paragraphum notant, ſch. cum numero adiecto ſcholium paragraphi, numero illo indicati, ſignificat.

A

Athei

Haere-

H.

I.

Illumi-

Meſſias

Origenes

Religio

T.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

p. 46. lin. 7 a fine comma poſt *conſulatur* delendum
p. 81. lin. 1 pro *inſenſiſſimo* legendum *inſenſiſſimo*
lin. 2 *inflamarentur* *inflammarentur*
p. 144. lin. ultima a fine, poſt *vitam* comma eſt ponendum
p. 164. lin. 7 a fine, pro *Singulis* leg. *ſingulis*
p. 220. lin. 9 *occaſionem* *occaſionem*
p. 254. §. CXXVI §. CCXXVI.